PHILOSOPHIA
PER ARGVMENTA
BREVITER EXPLICATA,
AD VSVM, ET EXEMPLVM
huius ſcientiæ ſtudio vacantium.

Auctore P. GVILLELMO CHABRONO,
è Societate IESV.

TOMVS QVARTVS
MORALIS.



PARISIIS,
Apud GASPARVM METVRAS, patrem & filium, viâ Iacobæâ ſub ſigno SS. Trinitatis, prope Mathurinenſes.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM,

Quæ in hoc quarto tomo continentur.

TRACTATVS VNICVS MORALIS.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO VLTIMA.



TRACTATVS VNICVS MORALIS.

DEMONSTRATIONES, quas habet Moralis Philosophia de Fœlicitate, bono, & vltimo fine, certum faciunt eam esse scientiam, & quidem practicam, cùm in eo versetur vt præscribat modum, quo fieri debent actus nostræ voluntatis, vt honesti sint, & laudabiles, in quo differt à Physica, quæ eosdem considerat, vt sunt actus vitales.

Præcipua eius diuisio est in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam. Prima docet quomodo se gerere debeat natura intellectualis in ordine ad se, seu extra societatem: secunda in ordine ad familiam, seu minimam societatem: & tertia in ordine ad ciuitatem, sub qua cōprehenduntur regna, & respublicæ, vocatúrque societas artificialis, ad differentiam primæ, quæ dicitur naturalis propterea quòd facta sit à natura virum, & vxorem coniungente in procreationem, & educationem liberorum.

Cæterùm duo obſeruanda ſunt ex Philoſopho in huius ſcientiæ tractatione. Primum eſt, iuuenes eſſe minùs idoneos facultatis iſtius auditores ex duobus capitibus: vnum eſt, quia non habent experientiam, & vſum rerum neceſſarium ad percipienda principia moralia, quæ ex iis deſumuntur: Aliud eſt, quia rapti violentia paſſionum exequuntur difficiliùs, quæ præſcribit Moralis.

Secundum quod vult obſeruari Ariſtoteles, eſt cùm ſæpè principia iſtius ſcientiæ ſint tantùm ea, quæ vt plurimùm vera ſunt, ſæpè etiam eius concluſiones eſſe tantùm de iis, quæ vt plurimùm vera ſunt, & abſolutè aliter ſe habere poſſunt.



DISPVTATIO I.

De Bono, Fine, & Fœlicitate.



VM bonum ſit finis, & aliquis finis fœlicitas, & beatitudo, trium horum tractationem eidem diſputationi tribuemus.

SECTIO PRIMA.

De Bono, quid sit, & quotuplex.

DIXIMVS in Metaphysica bonum esse vnum ex tribus attributis entis, statuimúsque idem esse ac perfectum in suo genere, seu, id cui ad eam rationem, quam habet, nihil deest, propterea quod in bono nihil aliud sit prius eo, quod est esse perfectum, & alia quæ dicuntur de bono oriantur ab eo, quod est esse perfectum. Præcipuum ex huiusmodi consequentibus est esse conueniens, per quod formari potest descriptio boni, vt sequitur.

PRIMA CONCLVSIO:

Bonum idem est, ac conueniens.

NOMINE boni nihil aliud intelligunt homimines, quàm id, quod est conueniens: ergo bonum idem est, ac conueniens.

Antecedens pr. Nomine boni intelligunt homines id, quod potest allicere nostrum appetitum; atqui id, quod est conueniens allicere potest nostrum appetitum: ergo nomine boni intelligunt id, quod est conueniens.

SECVNDA CONCLVSIO:

Non est aliud bonum ab honesto, iucundo, & vtili.

QVIDQVID est conueniens est honestum, iucundum, aut vtile: ergo non est aliud bonum ab honesto, iucundo, aut vtili.

Antecedens pr. Quidquid est conueniens, vel hoc habet, quod deceat naturam rationalem, vel quod afferat delectationem, vel quod conferat ad obtinenda duo illa; atqui quod decet naturam rationalem est honestum, quod affert delectationem iucundum, & quod conducit ad illa duo obtinenda vtile: ergo quidquid est conueniens est honestum, iucundum, aut vtile.

Obiicies. Illud non est bonum quod non habet veram, & propriam bonitatem; atqui vtile non habet veram, & propriam bonitatem: ergo vtile non est bonum.

Minor pr. Quod habet tantùm bonitatem alienam non habet veram, & propriam bonitatem; atqui vtile habet tantùm bonitatem alienam: ergo non habet veram, & propriam bonitatem.

Minor probatur. Illud habet tantùm bonitatem alienam, quod non amatur propter se; atqui vtile non amatur propter se: ergo habet tantùm bonitatem alienam.

Solutio: *Illud habet tantùm bonitatem alienam quod non amatur propter se de facto, neque potest amari*, Concedo. *quod licèt non ametur de facto propter se potest tamen amari*, Nego. atqui *vtile non amatur propter se de facto*, Concedo. *& non*

pôteſt amari, Nego. *Ratio eſt, quia cùm omnis perfectio ſit amabilis, & conducibilitas ad aliud, quæ eſt in vtili, ſit perfectio, negari non poteſt quin poſſit amari propter ſe, quamuis quatenus comparatur cùm eo alio bono, ad quod conducit, ametur propter illud.*

Contrà. Ex conceſſis quod de facto non amatur propter ſe, neque poteſt amari, non habet de facto veram, & propriam bonitatem; atqui vtile, quà vtile non amatur de facto propter ſe, neque poteſt amari: ergo non habet veram, & propriam bonitatem.

Solutio: *Quod de facto non amatur propter ſe, neque poteſt amari, non habet de facto veram, & propriam bonitatem, primò motiuam voluntatis,* Concedo. *non primo motiuam, motiuam tamen,* Nego. *& conceſſa minori:* ergo *vtile, quà vtile non habet veram, & propriam bonitatem primò motiuam voluntatis,* Concedo. *non primò motiuam, motiuam tamen,* Nego. *Verum quidem eſt vtile, & conducibile ad aliud ſub ea ratione non mouere primo & allicere ad ſe voluntatem, ſed tantùm illud aliud, ad quod eſt conducibilitas ipſius. Hoc tamen non impedit, quin hæc ipſius conducibilitas verè, & propriè ametur. Cùm enim ſit obiectum actus proſecutiui, non poteſt dici non amari, & deinde cùm ſæpe præferatur alteri conducibilitati, & hæc prælatio ſit propriiſſimè affectus erga ipſam, tum maximè cùm oritur ex maioritate, & exceſſu conducibilitatis ſupra aliam, clarum eſt vere amari, amore ſcilicet propter aliud, qui cùm ſit verus & proprius amor, non minus quàm amor propter ſe denominat etiam pari-*

ter suum obiectum amatum, & supponit in eo veram bonitatem, & propriam amabilitatem.

Tertia Conclusio:

Alia diuisio boni in summum, & non summum est etiam adæquata.

Nvllvm potest assignari bonum, quod non sit summum, aut non summum: ergo diuisio boni in summum, & non summum, est adæquata.

Antecedens pr. Summum bonum est illud, quod potest satiare appetitum, & non summum, quod non potest illud satiare; atqui nullum est bonum, in quo non sit quo satiari possit appetitus, aut non possit satiari: ergo nullum potest assignari bonum, quod non sit summum, aut non summum.

Minor pr. Nullum est bonum, in cuius possessione non quiescat appetitus, & nihil vltra appetat, vel non quiescat, & aliquid aliud præterea appetat; atqui appetitus satiari potest eo, in quo quiescit, & non satiari eo, in quo non quiescit: ergo nullum est bonum, in quo non sit, quo satiari possit appetitus, aut non possit satiari.

Existimant aliqui neminem planè esse, cuius animo non obuersetur continuò summum bonum verum, vel apparens; & ab eius voluntate non tantùm ametur semper, sed etiam ex eius amore agat quidquid facit. Id an verum sit suo loco examinabimus.

SECTIO II.

De Malo.

MALVM aliud eſt in ſe, & aliud alteri: de vtroque dicemus quid ſint.

PRIMA CONCLVSIO:

Malum abſolutè ſumptum, & in ſe eſt minus bonum, ſeu ens defectuoſum, & imperfectum.

MALVM abſolutè, & in ſe eſt vel minus bonum, vel non bonum; atqui non eſt non bonum: ergo eſt minus bonum.

Minor pr. Non bonum eſt non ens; atqui malum non eſt non ens: ergo malum non eſt non bonum.

Maior probatur primò.

Non bonum non eſt ens: ergò eſt non ens.

Antecedens pr. Quod eſt ens eſt bonum; atqui non bonum non eſt bonum: ergo non bonum non eſt ens.

Minor pr. Bonum eſt attributum entis, & cum eo conuertitur: ergo quod eſt ens eſt bonum.

Minor ſuperioris argumenti, malum non eſſe non ens, probatur.

Odium Dei, error, & dolor ſunt mala in ſe; atqui non ſunt non ens: ergò malum in ſe non eſt non ens.

Minor pr. Priuationes amoris Dei, ſcientiæ, & voluptatis ſunt malæ in ſe: ergo & odium Dei, error, & dolor.

A vj

Consequentia pr. Quod est peius eo, quod est malum in se, est verè malum in se, & in sua entitate; atqui odium Dei, error, & dolor sunt quid peius priuationibus amoris Dei, scientiæ, & voluptatis: ergo odium Dei, error, & dolor sunt malum in se, & in sua entitate.

Minor pr. Peius est odisse Deum, habere errorem, & dolere, quàm non habere amorem Dei, scientiam, & voluptatem: ergo odium Dei, error, & dolor sunt quid peius priuationibus amoris Dei, scientiæ, & voluptatis.

Obiicies. Malum in se,& absolutè, est non ens: ergo non est ens minùs perfectum, defectuosum, aut imperfectum.

Antecedens pr. Malum in se & absolutè non est ens: ergo est non ens.

Antecedens pr. Omne ens est bonum; atqui malum non est bonum: ergo malum non est ens.

Solutio: *Ens est bonum bonitate transcendentali*, Concedo. *bonitate naturali, aut morali*, Nego. atqui *malum non est bonum bonitate transcendentali, cui non opponitur*, Nego. *bonitate naturali, aut morali*, Concedo.

Contrà. Quod est bonum bonitate etiam transcendentali, non potest esse malum: ergo quod est malum non potest esse bonum bonitate transcendentali.

Solutio: *Quod est bonum bonitate etiam transcendentali non potest esse malum malitia transcendentali illi opposita*, Concedo. *Nulla enim huiusmodi datur, siquidem nihil aliud ei opponitur, quàm non bonitas, & negatio entis. Malitia naturali, aut morali*, Nego.

Contrà. Quod est bonum bonitate transcendentali est perfectum in suo genere; atqui quod est perfectum in suo genere non est malum malitia naturali, aut morali: ergo quod est bonum bonitate transcendentali non est malum malitia naturali, aut morali.

Minor pr. Quod est perfectum non est non perfectum; atqui malum malitia naturali, aut morali est non perfectum: ergo quod est perfectum in suo genere non est malum malitia naturali, aut morali.

Solutio: *Quod est perfectum perfectione transcendentali non est non perfectum perfectione naturali, aut morali,* Nego *perfectione transcendentali, & eiusdem generis,* Concedo. atqui *malum malitia naturali, aut morali est non perfectum perfectione naturali, aut morali,* Concedo. *perfectione transcendentali,* Nego.

Contrà. Malum quod est perfectum perfectione transcendentali, est etiam perfectum perfectione naturali, aut morali: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod est perfectum, & est in genere naturæ, aut moris est perfectum perfectione naturali, aut morali; atqui malum ex concessis est perfectum, & illa eius perfectio est in genere moris aut naturæ: ergo est etiam perfectum perfectione naturali, aut morali.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia non quævis perfectio entis naturalis, aut moralis est perfectio, quæ appellatur naturalis, aut moralis. Ad istas enim perfectiones non sufficit quòd aliquid quocunque modo sit perfectio; & sub quacunque ratione. Primo enim cum perfectio & bonitas na-*

turalis absolutè, & simpliciter dicta sit summa perfectio & bonitas, quæ reperiuntur in solo Deo, vt testatur Christus, cum ait, Nemo bonus nisi solus Deus: *clarum est entia alia creata carere bonitate illa naturali, & eatenus esse mala, seu entitates ipsorum esse defectuosas, & imperfectas, atque ita bonitatem illorum transcendentalem esse imperfectionem, & malitiam naturalem, seu entitatem, quæ non habet tantum perfectionis quantum alia.*

Contrà. Non perfectio seu minor perfectio siue naturalis, siue moralis non potest esse perfectio transcendentalis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Deus est causa omnis perfectionis transcendentalis; atqui non est causa imperfectionis naturalis, & multo minus moralis: ergo imperfectio naturalis, aut moralis, non est perfectio transcendentalis.

Solutio: *Deus est causa omnis perfectionis transcendentalis per se, vel per accidens*, Concedo. *per se tantum*, Nego. atqui *Deus non est causa imperfectionis naturalis, & multo minus moralis per se*, Concedo. *per accidens, & permissiuè*, Nego. *Deus non est causa per se imperfectionis moralis, quia vt diximus in Physica disp. de causa efficiente sect. secunda, conclusione prima, non concurrit ad illam neque determinatus in actu primo, neque se determinans in actu secundo, quorum alterum requiritur necessariò ad veram causam per se, vt declarari potest exemplis physicis, & moralibus: Exemplum physicum esse potest claudicatio, & inuentio thesauri, ad quas licet concurrant, ad illam quidem potentia progressiua, ad istam verò fo-*

diens terram in loco vbi latet thesaurus, non dicuntur tamen causa per se claudicationis, & inuentionis thesauri, quia prima non est ordinata à natura ad claudicationem, sed ad motum vniformem, & secundus inuenit præter intentionem thesaurum.

Exemplum morale est in eo, qui petit mutuum ab vsurario quem certò scit non daturum sine vsura, cuius tamen petitio non censetur causa moralis dationis vsurariæ, quia mallet ipse mutuum sine vsura, & inuitus valdè illud recipit reddendum cum vsura. Ex quibus patet Deum concurrere ad actum malum indifferenter non modò, quia ad illum applicat suam omnipotentiam per decretum indifferens, & ad illum concurrit determinatus à voluntate creata, quæ agit immediatè ex cognitione indifferenti, & tribuente potestatem agendi, & non agendi; sed etiam, quia diuina omnipotentia per se ordinatur, & naturâ suâ, & ex ordinatione diuinæ voluntatis ad bonum, non ad malum: quo fit præterea, vt licèt habitus (quantumuis determinetur ad operandum à voluntate) dicatur, & sit verè causa naturalis actus etiam mali, quia eius virtus per se ordinatur ad illum, Deus tamen non possit dici causa actus mali, possit verò, & verè sit causa actus boni, tum moralis, quia ad illum concurrit suadendo, præcipiendo, mouendo, tum physica, quia illum intendit, eiúsque virtus ad illum per se ordinatur; & dedit nobis facultatem arbitrii, eámque conseruat, vt ait S. Augustinus l. 2. de libero arbitrio cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 6. vt benè, & conformiter rectæ rationi operemur.

Contrà. Deus quantumuis concurrens indifferenter ad actum illum, qui est imperfectio moralis, non potest negari esse causa moralis illius: ergo non concurrit indifferenter, & non debet dici tantùm causa per accidens illius.

Antecedens pr. Qui potest facilè impedire imperfectionem moralem alterius, & eam non impedit, est causa moralis illius; atqui Deus potest facilè impedire imperfectionem moralem creaturarum liberarum, & tamen eam non impedit: ergo est causa moralis illius.

Solutio: *Qui potest facilè impedire imperfectionem moralem alterius, & eam non impedit, est causa moralis illius, si teneatur illam impedire, & non habeat ius illam non impediendi*, Concedo. *si non teneatur illam impedire, & habeat ius illam non impediendi*, Nego. atqui *Deus potest facilè impedire imperfectionem moralem creaturarum, & tamen eam non impedit, quia non tenetur eam impedire, & habet ius eam non impediendi*, Concedo. *& tenetur eam impedire, & non habet ius eam non impediendi*, Nego. *Ratio quare Deus non teneatur impedire aliter quam propositione pœnarum, & præmiorum imperfectiones nostras morales, & ruinam spiritalem suarum creaturarum, est, quia hæc obligatio nasci non potest in ipso, neque ex parte creaturæ, quæ nullum acquirere potest ius contra ipsum, cùm quidquid habet ab ipso habeat, & dederit ipsi auxilia sufficientia ad vitandam ruinam illam spiritalem: neque etiam ex parte ipsius Dei, qui potest non sibi velle omnem gloriam extrinsecam, quam accipere posset à creaturis. Nihil enim sibi amat necessario, quàm bona sua intrin-*

ſecta, quæ ſola digna ſunt amore ipſius neceſſario, & infinito.

SECVNDA CONCLVSIO:

Malum alteri ſeu illi diſconueniens non eſt neceſſariò non ens.

QVOD poteſt eſſe ens non eſt neceſſariò non ens; atqui malum alteri poteſt eſſe ens: ergo non eſt neceſſariò non ens.

Minor pr. Multa ſunt entia quæ ſunt mala aliis: ergo malum alteri poteſt eſſe ens.

Antecedens pr. Calor dicitur, & eſt malus aquæ, frigus igni: error intellectui, & dolor animali: ergo multa entia dicuntur, & ſunt mala aliis.

Reſpondent: *Calor dicitur, & eſt malus aquæ (& par eſt ratio de aliis allatis) ſecundum ſe, & in ſua entitate*, Nego. *propterea quod priuet illam ſuo frigore*, Concedo. ergo *multa entia dicuntur, & ſunt mala ſecundum ſe, & in ſua entitate*, Nego. *quatenus priuant ſubiectum ſuum forma illi connaturali*, Concedo.

Vt impugnetur diſtinctio, Suppono, *frigus conſeruari cum calore in aqua, & ſic argumentor:*

Calor in ſuppoſitione facta non priuat aquam ſuo frigore; atqui nihilominus eſt illi malus: ergo non eſt tantùm illi malus, quia priuat illam ſuo frigore.

Reſpondent: *Calor in ſuppoſitione facta non priuat aquam ſuo frigore, neque poteſt eam eo priuare*, Nego. *& poteſt eam eo priuare*, Concedo. atqui *nihilominus eſt illi malus, & non poteſt illam priuare ſuo frigore*, Nego. *& poteſt, licèt id non faciat*, Concedo.

Contrà. Calor ex concessis est malus aquæ per id, per quod potest illam priuare suo frigore; atqui id, per quod potest priuare illam suo frigore est ipse secundùm se, & in sua entitate: ergo ipse secundùm se, & in sua entitate, & non tantùm quatenus priuat, aut potest illam priuare suo frigore est ei malus.

TERTIA CONCLVSIO:
Deus non est causa mali moralis.

MALVM morale est actio libera contra rectam rationem; atqui Deus non est causa actionis liberæ contra rectam rationem: ergo Deus, non est causa mali moralis.

Minor pr. Deus non est neque causa physica, neque moralis actionis liberæ contra rectam rationem: ergo non est causa illius.

Secunda pars antecedentis probatur primò.

Illud non est causa moralis actionis liberæ contra rectam rationem, quod deterret ab illa hortationibus, minis, & pœnis; atqui Deus deterret hortationibus, minis & pœnis ab actione libera contra rectam rationem: ergo non est causa moralis actionis liberæ contra rectam rationem.

Minor pr. Plenæ sunt sacræ paginæ hortationum Dei ad virtutem, minarum si labamur in vitia, & punitionum, quas sumit de actionibus liberis contra rectam rationem: ergo Deus deterret ab actionibus liberis contra rectam rationem hortationibus, minis, & pœnis.

Prima pars antecedentis superioris argumenti probatur secundò.

Illud non eſt cauſa phyſica actionis liberæ contra rationem, cuius virtus non eſt ordinata ad illam, neque naturâ ſuâ, neque ex propria determinatione; atqui Deus non ordinatur naturâ ſuâ, neque ex propria determinatione ad actionem liberam contra rationem: ergo Deus non eſt cauſa phyſica actionis liberæ contra rationem.

Minor pr. Quod eſt ſumma ſanctitas non ordinatur naturâ ſuâ, neque ex propria determinatione ad actionem liberam contra rationem; atqui Deus eſt ſumma ſanctitas: ergo non ordinatur naturâ ſuâ, neque ex propria determinatione ad actionem liberam contra rationem.

Maior pr. Nihil ordinatur ad id, cum quo habet ſummam repugnantiam, & incompoſſibilitatem; atqui ſumma ſanctitas habet ſummam repugnantiam, & incompoſſibilitatem cum actione libera contra rationem: ergo quod eſt ſumma ſanctitas non ordinatur naturâ ſuâ, neque ex propria determinatione ad actionem liberam contra rationem.

Minor pr. Summa ſanctitas habet ſummam repugnantiam cum improbitate, & malitia actuali; atqui actio libera contra rationem eſt malitia actualis: ergo quod eſt ſumma ſanctitas habet ſummam repugnantiam cum actione libera contra rationem.

Maior ſuperioris argumenti, illud non eſſe cauſam actionis liberæ contra rationem, quod non ordinatur naturâ ſuâ, aut ex propria determinatione ad illam, probatur.

Monſtra, claudicatio, & inuentio theſauri re-

censentur ab Aristotele, & Philosophis inter effectus per accidens potentiæ generatiuæ, potentiæ progressiuæ, & fossionis, quòd hæc non sint naturâ suâ ordinata ad illa: ergo illud etiam non debet dici causa actionis liberæ contra rectum rationem, quod non ordinatur naturâ suâ, aut ex propria determinatione ad illam.

Quomodo autem cum omnipotentià non sit ordinata ad actionem liberam contra rectam rationem, determinetur tamen à causa secunda ad cõcurrendum ad illam, sic explicandum videtur vt dicamus causam primam, & causam secundam liberam esse ambas ad illam indifferentes in actu primo, cum diuersitate tamen in eo posita, quòd causa secunda sit formaliter indifferens, prima verò sit tantùm denominatiuè indifferens ab indifferentia secundæ formaliter indifferentis, quemadmodum habitus concurrens ad actum liberum est tantum denominatiuè indifferens à formali indifferentia voluntatis. Ratio huius rei est, quia cùm vt agens agat voluntariè, necessarium sit, vt operetur immediatè ex cognitione proponente sibi obiectum, & vt operetur liberè vt agat immediatè ex cognitione indifferenti, concausæ vtriusque huius causæ voluntariæ, & liberæ, si non moueantur immediatè à cognitione ad agendum, non concurrunt voluntariè, nec liberè formaliter, nec sunt in actu primo indifferentes, sed tãtùm denominatiuè à libertate aliena, & indifferentia causæ operantis immediatè ex cognitione indifferenti, ac proinde cùm ad actum liberum creatum sola voluntas creata illũ recipiẽs concurrat ex immediata directione co-

gnitionis indifferentis, causa verò prima non concurrat immediatè ex illa cognitione, non potest dici nisi denominatiuè à libertate formali voluntatis agere liberè formaliter, saltē proximè: dico, proximè, quia remotè concursus ille diuinæ omnipotentiæ est liber, & indifferens. Procedit siquidem à volitione illa indifferenti, per quam Deus statuens concurrere in his circunstantiis, vel ad hunc actum bonum, vel ad hunc malum ponit omnipotentiā suam in potestate voluntatis, vt ea vtatur, ea ratione, qua vtitur habitu, & aliis suis concausis. Vnde fit vt sequentes propositiones, Deus concurrit ad actum liberum creatum determinatus à voluntate creata; subordinatur voluntati creatæ in operationibus liberis, concurrit ad actum liberum, quia voluntas concurrit, & aliæ similes habeant verum sensum. Nihil enim aliud significant, quàm diuersum illum modum, quo se habent in actu primo causa prima, & secunda. Quoties enim duæ, aut multæ causæ concurrunt in actu primo, & ponunt in actu secundo, eandem actionem illa, quæ est in actu primo proximo formaliter libera, & indifferens habet in sua potestate actionem, dicitur hoc ipso determinare alias, & aliæ concurrere ab ea determinatæ, censentúrque ei subordinari in operando, & concurrere, quia illa concurrit: tandem illa sola dicitur hoc ipso quasi incipere actionem, & trahere alias omnes. Ex quo patet solam causam secundam esse immediatè liberam, & indifferentem in actu primo in ordine ad actū liberum, ipsamque ad illum determinare causam primam, & habitum, istúmque ei subordi-

nari naturâ suâ; illam verò voluntariè vi scilicet decreti illius suprà explicati, quod remotè est formaliter liberum, & indifferens.

QVARTA CONCLVSIO:

Deus potest esse causa habituum vitij, & erroris.

DEVS potest esse causa omnis eius, quod non est malum moraliter; atqui habitus vitij, & erroris non sunt mali moraliter: ergo Deus potest esse causa illorum.

Maior probatur primò.

Deus potest esse causa omnis eius, cuius productionem potest intendere; atqui Deus potest intendere productionem omnis eius, quod non est malum moraliter: ergo Deus potest esse causa omnis eius, quod non est malum moraliter.

Minor pr. Deus potest intendere productionem omnis eius, quod potest ordinare in honestum finem; atqui Deus potest ordinare productionem omnis eius, quod non est malum moraliter in honestum finem: ergo Deus potest intendere productionem omnis eius, quod non est malum moraliter.

Minor pr. Deus potest ordinare productionem eius, quod non est malum moraliter in omnem illum finem cum quo non est incompossibile; atqui quod non est malum moraliter non est incompossibile cum fine honesto: ergo Deus potest ordinare productionem omnis eius, quod non est malum moraliter in honestum finem.

Respondent: Atqui *quod moraliter non est malum neque formaliter, neque causaliter, non est incompossibile cum fine honesto,* Concedo. *quod moraliter non est malum tantùm formaliter, si sit causaliter malum*, Nego. *& eandem distinctionem applicant consequenti.*

Contrà. Causaliter malum, in distinctione positum, est illud quod cum causa libera, & indifferenti concurrit ad actum malum determinatum per illam; atqui Deus potest ordinare illud in finem honestum: ergo & quod est tantùm causaliter malum.

Minor pr. Deus potest ordinare in finem honestum id omne, quod non est formaliter malum; atqui quod cum causa libera & indifferenti concurrit ad actum malum determinatum per illam, non est formaliter malum: ergo Deus potest ordinare illud in finem honestum.

Minor probatur primò.

Omnipotentia diuina concurrit ad actum malum cum causa libera, & indifferenti, & determinatur per illam; atqui diuina omnipotentia non est formaliter mala: ergo quod concurrit cum causa libera,& indifferenti determinatũ per illam ad actum malũ non est formaliter malum.

Maior probatur secundò.

Deus potest ordinare in finem honestum illud omne, quod potest esse vtile laudabiliter ad illum obtinendum; atqui illud omne, quod non est formaliter malum potest esse vtile laudabiliter ad finem honestum obtinendum: ergo Deus potest illud ordinare in huiusmodi finem.

Minor pr. Quod maximè potest dici non pos-

ſe eſſe vtile laudabiliter ad finem honeſtum obtinendum, eſt v. g. habitus ad intemperantiam; atqui ille poteſt eſſe vtilis ad finem honeſtum obtinendum: ergo & illud omne, quod non eſt formaliter malum.

Minor pr. Victoria nobilior de intemperantia eſt finis honeſtus; atqui habitus intemperantiæ eſt vtilis ad nobiliorem victoriam de intemperantia: ergo habitus ad intemperantiam poteſt eſſe vtilis ad finem honeſtum.

Minor pr. Nobilior eſt victoria de intemperantia, cùm magna ad ipſam propenſio vincitur; atqui habitus ad intemperantiam eſt illa magna propenſio: ergo vtilis eſt vt nobilior ſit victoria de intemperantia.

Maior pr. Nobilior eſt victoria cæteris paribus cùm maior ſuperatur reſiſtentia; atqui cùm eſt magna propenſio ad intemperantiam, & vincitur, ſuperatur fortior reſiſtentia: ergo nobilior eſt victoria de intemperantia cùm magna ad ipſam propenſio vincitur.

Obiicies. Deus non eſt cauſa eius, quod dedecet primam veritatem, & ſummam ipſius ſanctitatem; atqui dedecet primam veritatem, & ſummam ipſius ſanctitatem eſſe cauſam habitus erroris, & vitij: ergo Deus non poteſt eſſe cauſa habitus erroris, & vitij.

Minor pr. Dedecet primam veritatem, & ſummã ſanctitatem eſſe cauſam propenſionis ad falſitatem, & malitiã; atqui habitus erroris eſt propenſio ad falſitatem, & habitus vitij ad malitiam: ergo dedecet primam veritatem, & ſummam ſanctitatem eſſe cauſam habitus erroris, & vitij.

Solutio:

Solutio: *Dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem esse causam propensionis ad falsitatem, & ad malitiam eo fine vt ponantur falsitas, & malitia*, Concedo. *eo fine vt non ponantur, sed ipsis incassum repugnantibus actus contrarij maiori cum laude exerceantur*, Nego. *& concessa minori*: ergo *dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem esse causam habitus erroris, & vitij eo fine vt ponantur eorum actus*, Concedo. *eo fine vt non ponantur, sed ipsis incassum repugnantibus ponantur maiori cum laude actus ipsis contrarij*, Nego.

Contrà. Dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem ex vllo fine extrinseco esse causam propensionis ad falsitatem,& malitiam: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem esse causam ex fine vllo extrinseco eius, quod naturâ suâ, & ab intrinseco non tendit nisi in falsitatem, & malitiam; atqui propensio in falsitatem, & malitiam, de qua est quæstio, non tendit ab intrinseco, & ex natura sua nisi in falsitatem, & malitiam: ergo dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem ex vllo fine extrinseco esse illius causam.

Solutio: *Dedecet primam veritatem, & summam sanctitatem esse causam ex fine vllo extrinseco eius, quod naturâ suâ, & ab intrinseco non tendit nisi in falsitatem, & malitiam, si non possit esse sine iis, & quin eas causet de facto*, Concedo. *si possit esse sine iis, & absque eo, quod illas causet de facto, & præterea potest obiectiuè seruire ad maiorem humililitatem, & esse vtilis ad m-*

biliorem, victoriam obtinendam de errore, & vitio, Nego. *Ratio responsionis est, quia cum illa propensio non sit mala in se, Deus enim solus vt facit, non posset illam conseruare. Conseruatio siquidem esset æquè mala, ac prima productio : neque in suo effectu, quippe qui nullus supponatur esse alius, quam vtilitas ad honestum finem extrinsecum, non videtur ex quo capite possit dici dedecere primam veritatem, & summam sanctitatem illas causare, maximè cùm concupiscentia, quæ non potest negari fieri à Deo sit vera, & propria inclinatio in multa obiecta contra rectam rationem. Iam ad consequens, dedecet primam veritatem & summam sanctitatem esse causam propensionis ad falsitatem, & malitiam, si propensio illa non possit esse quin eas causet*, Concedo. *si possit esse absque eo, quod illas causet, sicut est concupiscentia sine affectionibus illis inordinatis ad quas inclinat, & possit seruire obiectiuè ad maiorem humilitatem, & esse vtilis ad nobiliorem victoriam obtinendam*, Nego. *Cùm enim laudabile sit permittere, atque etiam intendere pugnam amore victoriæ, & ad concedendum triumphum, maximè cùm subministrantur vires ad superandam resistentiam, quæ opponitur deuincenda : turpe iudicari non potest ponere ea media, cùm hæc in se non sunt mala, nec habent necessariò aliquid mali annexum, quibus fines illi honesti recensiti, & intenti obtinentur.*

Contrà. Dedecet summam Dei sanctitatem ponere impedimenta ad virtutem, & perfectionem Christianam; atqui causans propensionem ad falsitatem, & malitiam, quantumuis hæc non

eliciant suos actus, ponit impedimenta ad virtutem, & perfectionem Christianam : ergo dedecet summam Dei sanctitatem causare propensionem ad falsitatem, & malitiam.

Solutio : *Decedet summam sanctitatem ponere impedimenta materialiter sumpta ad virtutem, & perfectionem Christianam, seu ex intentione non impediendi exercitium virtutis, sed potiùs promouendi, & augendi*, Nego. *formaliter sumpta, seu ex affectu impediendi huiusmodi exercitium*, Concedo. atqui *causans propensionem ad falsitatem, & malitiam, quantumuis hæc non eliciant suos actus, ponit impedimenta ad virtutem, & perfectionem Christianam materialiter sumpta, seu ex intentione non impediendi exercitium, virtutis, sed potiùs illud promouendi, & augendi*, Concedo. *formaliter sumpta, seu ex affectu impediendi huiusmodi exercitium*, Nego. *Certè concupiscentia magis obest, pertinacius, & diutius exercitio virtutis, quàm habitus vitij, quippe quæ semper maneat, nec possit expelli, aut destrui, sicut expellitur, aut destruitur iste habitus, & tamen nemo dixerit concupiscentiam, seu propensionem in bonum delectabile non causari à Deo, qui vt habet ius probandi nos, & experiundi num verè illum amemus : ita potest ponere, & intendere difficultates illas in exercitio illius amoris, ex quarum victoria dubius illi non sit noster amor. Cùm autem ponit, aut permittit huiusmodi difficultates, concedit nobis semper vires ad illas superandas, & ponit illas ex affectu vt victores simus, & maiorem assequamur perfectionem moralem. Quod secundum motiuum nostræ vtilitatis est ipsi alius*

intendendi finis, quod diximus esse impedimentum non formale, sed tantum materiale ad sanctitatem.

SECTIO III.

An malum quà malum amari possit, & bonum odio haberi?

PRIMA CONCLVSIO:

Malum, quà malum non potest amari.

ILLVD non potest amari, quod non potest esse obiectum primò motiuum actus prosecutiui voluntatis; atqui malum quà malum non potest esse obiectum primò motiuum actus prosecutiui voluntatis: ergo malum quà malum non potest amari.

Maior probatur primo.

Amor est prosecutio sui obiecti: ergo illud non potest amari, quod non potest esse obiectum primò motiuum actus prosecutiui voluntatis.

Minor præcedentis argumenti probatur secundo.

Actus prosecutiui voluntatis sunt amor, desiderium, & gaudium; atqui malum quà malum non potest esse obiectum primò motiuum, neque amoris, neque desiderij, neque gaudij: ergo malum quà malum non potest esse obiectum primò motiuum actus prosecutiui voluntatis.

Minor probatur. Amor, desiderium, & gaudium sunt affectus, propensiones, & inclinationes in bonum præsens, absens, vel præscindendo ab eius absentia, vel præsentia; atqui malum quà

malum non est bonum : ergo malum quà malum non est obiectum primò motiuum amoris, desiderij, aut gaudij.

Maior probatur. Amor, desiderium, & gaudium sunt affectus, propensiones, & inclinationes in id, quo perfici potest eorum subiectum; atqui illud quo perfici potest eorum subiectum debet esse bonum : ergo amor, desiderium, & gaudium sunt affectus, propensiones, & inclinationes in bonum absolutè, vel in bonum præsens, aut absens.

Minor probatur. Subiectum non perficitur nisi per id, quod est perfectum; atqui illud, quod est perfectum est bonum : ergo illud, quo perfici potest subiectum amoris, desiderij, aut gaudij debet esse bonum.

Obiicies. Illud potest amari ad quod potest esse inclinatio appetitus, aut voluntatis; atqui potest esse inclinatio appetitus, & voluntatis ad malum quà malum : ergo malum quà malum potest amari.

Minor probatur. Ad illud potest esse inclinatio appetitus, & voluntatis, ad quod appetitus dicitur à prima veritate pronus; atqui sensus hominis, seu appetitus eius Genes. 8. dicitur pronus in malum ab adolescentia sua : ergo potest esse inclinatio appetitus, & voluntatis ad malum quà malum.

Solutio : Atqui *Genes.* 8. *sensus seu appetitus hominis, dicitur pronus esse in malum, hoc est, ad eliciendas appetitiones, quæ sint malæ moraliter,* Concedo. *quarum obiectum primo motiuum sit ratio mali,* Nego. ergo *potest esse inclinatio appe-*

titus, & voluntatis ad malum, hoc est, ad eliciendas appetitiones, quarum obiectum primò motiuum sit ratio mali, Nego. *quæ sint mala moraliter*, Concedo.

Contrà. Appetitus ex concessis est pronus ad eliciendas appetitiones malas moraliter; atqui obiectum primò motiuum multarum huiusmodi appetitionum est ratio mali, & malum, quà malum: ergo appetitus est pronus ad eliciendas appetitiones, quarum obiectum primò motiuum est ratio mali, & malum, quà malum.

Minor pr. Obiectum primò motiuum appetitionum eorum, qui peccant ex malitia, & quos ideo Aristoteles septimo Moralium vocat malignos, est ratio mali, & malum, quà malum; atqui multi peccant ex malitia, seu feruntur in peccatum, quia peccatum est: ergo obiectum multarum appetitionum est ratio mali, & malum, quà malum.

Maior pr. Debet esse aliqua ratio, quare appetitiones illæ dicantur esse ex malitia potiùs, quàm aliæ; atqui illa non potest esse alia, quàm quod earum obiectum primò motiuum sit ratio mali, & malum, quà malum, seu peccatum, quà peccatum, aliarum verò non sit: ergo obiectum primò motiuum appetititionum eorum, qui peccant ex malitia, est ratio mali, & malum, quà malum.

Solutio: *Neganda est minor, & dicendum illam aliam rationem esse, quia licèt plenè aduertant, quod amant esse contra rectam rationem, afficiuntur nihilominus erga illud.*

Contrà. Omnes, qui peccant aduertunt id, quod

agunt esse contra rectam rationem; atqui omnes non peccant ex malitia: ergo peccare ex malitia non est aduertere id, quod amatur esse contra rectam rationem.

Solutio: *Omnes, qui peccant aduertunt id, quod agunt esse contra rectam rationem, & feruntur in illud, quia est contra rectam rationem*, Nego. *& non feruntur in illud, quia est contra rectam rationem*, Concedo. *& concessa minori: ergo peccare ex malitia non est aduertere id, quod amatur esse contra rectam rationem, si non feratur in illud, quia est contra rectam rationem*, Concedo. *si feratur in illud, quia est contra rectam rationem, & Deum, vt dicitur de dæmonibus, & peruersis quibusdam hominibus*, Nego.

Contrà. Qui amat, quod amat, quia est contra rectam rationem, amat malum, quà malum; atqui ex concessis qui peccant ex malitia, amant quod amant, quia est contra rectam rationem: ergo qui peccant ex malitia, amant malum quà malum.

Solutio: *Qui amat quod amat, quia est contra rectam rationem sistendo in eo, & non conuestiendo illud aliqua alia ratione boni, quod ipsum primò moueat ad istud*, Concedo. *non sistendo in eo, & conuestiendo illud alia ratione boni ipsum primò mouente*, Nego. atqui *ex concessis, qui peccant ex malitia, amant quod amant, quia est contra rectam rationem, sistendo in eo, & non conuestiendo illud alia ratione boni*, Nego. *non sistendo in eo, & conuestiendo illud alia ratione boni ipsos primò mouente*, Concedo.

Contrà. Qui volens mentitur amat inhonesta-

tem mendacij sistendo in ea, & non conuestiendo eam alia ratione boni: ergo qui amant, quod amant, quia est contra rectam rationem, possunt sistere in eo, & non conuestire illud alia ratione boni ipsos primò mouente.

Antecedens pr. Inhonestas mendacij non potest esse bona, neque in se, neque repræsentari bonaei, qui sciens, & volens mentitur: ergo qui sciens, & volens mentitur, amat inhonestatem mendacij sistendio in ea, & non conuestiendo illam alia ratione boni.

Solutio: *Inhonestas mendacij non potest esse bona neque in se, neque ei, qui sciens, & volens mentitur, repræsentari bona bonitate morali, & quæ dicitur honestas*, Concedo. *alia bonitate, conducibilitate v. g. ad aliud obtinendum*, Nego.

Contrà. Vt inhonestas mendacii ametur non debet repræsentari bona vlla bonitate: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Mors amatur ab iis, qui illam sibi volentes inferunt nulla repræsentata in ea bonitate: ergo vt inhonestas mendacii ametur, non debet repræsentari bona vlla bonitate.

Solutio: *Mors amatur ab iis, qui illam sibi inferunt nulla repræsentata in ea bonitate vera*, Concedo. *apparenti*, Nego. *Existimant enim per illam finem imponendum miseriis illis, & doloribus animi, vel corporis, quibus premuntur.*

Contrà. Multi amant mortem suorum hostium, non vt per illam finis imponatur inimicorum malis, sed vt augeantur, & quia apparet illis illa augere, & esse magnum eorum augmentum: ergo mors amatur nulla in ea repræsentata ratione boni vera, vel apparenti.

Solutio: *Multi amant mortem suorum hostium, non vt per illam finis imponatur inimicorum malis, sed vt augeantur, & quia repræsentatur ipsis illa augere, & esse magnum eorum augmentum, & accessio illa mali inimicis, & eorum destructio non repræsentatur bona, & iuuans ad conseruationem eorum, qui illam amant, & non mouet ipsos ad illum amorem*, Nego. *& repræsentatur illis bona, iuuans ad ipsorum conseruationem, & eatenus mouens ipsos ad illum amorem*, Concedo.

Contrà. Occisio hostis amatur à multis, licèt videant causaturam ipsis suspendium, & mortem duriorem, quàm sit illa quam illi inferunt: ergo mors inimici non repræsentatur ipsis vt bona, & iuuans ad ipsorum conseruationem, sed præcisè quia est mala amatur.

Solutio: *Occisio hostis amatur à multis, licet videant causaturam ipsis suspendium, & mortem duriorem eâ, quam ipsi inferunt, & exsatiatio appetitus vindictæ non apparet illis bona, & non mouet ipsos ad non timendam propriam mortem*, Nego. *& repræsentatur illis bona, & mouet illos ad non timendum suspendium, & mortem illam duriorem*, Concedo.

Contrà. Quod tendit liberè in occisionem illam, potest illam amare etiamsi non repræsentetur bona vlla bonitate, & appareat purè mala: ergo occisio hostis amatur non repræsentata in ea vlla bonitate.

Antecedens pr. Quod potest tendere, vel non tendere in occisionem illam quà malam, potest illam amare etiamsi non repræsentetur bona vlla bonitate, & appareat purè mala; atqui quod ten-

dit liberè in occisionem illam, potest tendere, vel non tendere in illam : ergo quod fertur liberè in illam potest illam amare, etiamsi non repræsentetur bona vlla bonitate, & appareat purè mala.

Solutio : *Illud potest amare occisionem illam, etiamsi non repræsentetur bona vlla bonitate, & appareat purè mala, quod potest tendere, vel non tendere in occisionem illam quà malam actu prosecutiuo,* Concedo. *actu auersatiuo.* Nego, atqui *quod tendit liberè in occisionem illam potest in illam tendere, vel non tendere actu prosecutiuo*, Nego. *actu auersatiuo*, Concedo. *Non est dubium, quin voluntas elicere possit aliquem actum circa illam occisionem quà malam, vel non elicere, sed is quem eliciet debet necessariò esse auersatiuus, & fuga illius, & non potest esse prosecutiuus.*

Contrà. Voluntas potest tendere in non bonum actu prosecutiuo : ergo etiam in malum, quà malum.

Antecedens pr. Non ens, & impossibile est non bonum; atqui voluntas tendit in non ens, & impossibile actu presecutiuo : ergo & in non bonum.

Minor pr. Aristoteles ait voluntatem esse impossibilium, & experientia docet sæpè nos affici multùm erga impossibilia : ergo voluntas nostra tendit in non ens, & impossibile actu prosecutiuo.

Solutio : *Aristoteles ait voluntatem esse impossibilium, & experientia docet nos affici multùm erga impossibilia, repræsentata vt possibilia*, Concedo. *non repræsentata vt possibilia*, Nego. *Sic enim cùm nullam habeant bonitatem, non possunt etiam mouere voluntatem ad eam sibi coniungendam per actus*

suos prosecutiuos, quibus ad hoc vtitur, & qui ei in eum finem sunt concessi. Quare cùm in obiecto nulla apparet ipsi bonitas, deest in ipsa vis ad tendendum in illud per huiusmodi actus, & si quem exercet circa ipsum is non potest esse alius quàm auersatius.

Contrà. Voluntas afficitur, & tendit actu prosecutiuo, in non productionem sui, & sui subiecti, & vtriusque annihilationem, cùm vellemus non fuisse, aut optamus non esse. Aiebat Christus de Iuda, *melius erat ei si natus non fuisset*; atqui non productio illa, & annihilatio sunt, & repræsentantur vt non ens, & non bonum: ergo voluntas afficitur, & tendit actu prosecutiuo in id, quod est non ens, & non bonum, & repræsentatur illi vt non ens, & non bonum.

Solutio: *Voluntas afficitur, & tendit actu prosecutiuo in non productionem sui, & sui subiecti, & vtriusque annihilationem secundùm se sumpta*, Nego. *vt impeditiua alicuius mali, aut ei finem imponentia*, Concedo. atqui *non productio illa, & annihilatio illa sunt, & repræsentantur vt non ens, & non bonum secundùm se sumpta*, Concedo. *vt impeditiua, aut finem imponentia malo, quo premitur voluntas*, Nego. *Apprehenduntur enim ab illa ad instar magni boni*: ergo *voluntas tendit in id, quod est non bonum, & non repræsentatur vt bonum, sed vt non bonum cognitione vera, perfecta, & repræsentante rem vt est*, Nego. *cognitione imperfecta non repræsentante rem vt est, & non penetrante quid sit summa miseria, & quantorum malorum longè grauiorum eo, quod timetur sit complexio*, Concedo. *Ad hoc enim, vt*

voluntas excitetur ad actum prosecutiuum, sufficit quæcunque cognitio æquè falsa ac vera, modò repræsentet obiectum suum conuestitum ratione aliqua boni, quam examinare vanane sit an falsa, non est voluntatis, sed intellectus, cuius est comparare vnum cum alio, & aduertere num vera, & realis habitudo, & connexio sit inter illa.

Contrà. Summa miseria, & damnatio non est, & non repræsentatur vt bona etiam vt impeditiua maioris, aut minoris mali; atqui voluntas tendit in illam actu prosecutiuo: ergo & in id, quod est non bonum, & non repræsentatur vt bonum, sed vt non bonum.

Minor pr. Multi imprecantur, & sibi optant æternam miseriam: ergo eorum voluntas tendit in illam actu prosecutiuo.

Solutio: *Præcedentis argumenti summa miseria, & damnatio non est, & non repræsentatur vt bona, & impeditiua maioris mali, aut etiam minoris cognitione vera, & perfecta repræsentante rem, vt est; ipsa enim est complexio, & illorum malorum, & multorum aliorum,* Concedo. *cognitione imperfecta non repræsentante rem vt est, & non penetrante quid sit summa miseria, & quantorum malorum longè grauiorum eo, quod impendet sit complexio.* Nego.



SECVNDA CONCLVSIO:

Bonum quà bonum non potest odio haberi.

QVOD non potest esse obiectum fugæ, timoris, aut tristitiæ, non potest odio haberi; atqui bonum quà bonum non potest esse obiectum fugæ, timoris, aut tristitiæ: ergo bonum quà bonum non potest odio haberi.

Minor pr. Illud non est obiectum fugæ, timoris, aut tristitiæ, ad quod sibi coniungendum est tota inclinatio voluntatis; atqui inclinatio voluntatis est tota ad coniungendum sibi bonum quà bonum: ergo bonum quà bonum non potest esse obiectum fugæ, timoris, aut tristitiæ.

Minor pr. Bonum quà bonum est perfectum quà perfectum; atqui tota inclinatio voluntatis est ad coniungendum sibi perfectum quà perfectum: ergo tota inclinatio voluntatis est ad coniungendum sibi bonum quà bonum.

Minor pr. Tota inclinatio voluntatis est ad suam perfectionem, & ad faciendam se quàm perfectissimam; atqui assequitur suam perfectionem, & facit se quàm perfectissimam coniungendo sibi perfectum quà perfectum: ergo tota inclinatio voluntatis est ad coniungendum sibi perfectum quà perfectum.

Minor pr. Assecutio perfectionis, qua quis caret, non fit aliter quàm per vnionem illius cum ipso: ergo voluntas assequitur suam perfectionem, & facit se quàm perfectissimam coniungen-

do sibi perfectum quà perfectum.

Obijcies. Virtus odio haberi potest, & habetur de facto ab improbis: ergo & bonum quà bonum.

Consequentia pr. Virtus est bonum quà bonum; atqui virtus ex concessis odio haberi potest: ergo & bonum quà bonum.

Solutio: Atqui *virtus ex concessis odio haberi potest repræsentata vt bona præcisè*, Nego. *repræsentata vt mala*, Concedo. ergo *odio haberi potest bonum quà bonum*, *hoc est*, *cùm repræsentatur vt bonum præcisè*, Nego. *cùm repræsentatur cum admixtione mali*, Concedo.

Contrà. Peccator odio habet virtutem; atqui virtus non repræsentatur ei vt mala: ergo virtus non repræsentatur vt mala ei, qui illam odio habet.

Solutio: Atqui *virtus non repræsentatur ei qui illam odio habet, vt mala malitia morali*, Concedo. *alia malitia*, Nego. ergo *virtus ei, qui illam odio habet, non repræsentatur vt mala malitia morali*, Concedo. *alia malitia*, Nego.

Contrà. Deus odio habetur à peccatoribus; atqui non repræsentatur eis vt malus vlla malitia: ergo quod non repræsentatur vt malum vlla malitia potest odio haberi.

Minor pr. Quod est summè bonum non repræsentatur peccatoribus vt malum vlla malitia; atqui Deus est summè bonus: ergo non repræsentatur eis vt malus vlla malitia.

Solutio: *Quod est summè bonum, & vt tale cognoscitur non repræsentatur peccatoribus vt malum vlla malitia*, Concedo. *quod licet sit summè bo-*

num, vt tale tamen non cognoscitur, Nego. atqui *Deus est summè bonus, & vt talis cognoscitur à peccatoribus,* Nego. *& non cognoscitur ab illis vt summè bonus.* Concedo.

Contrà. Dæmones, & damnati non possunt non cognoscere euidenter Deum vt summè bonum; atqui sunt peccatores, & illum odio habentes: ergo Deus repræsentatur vt summè bonus peccatoribus, & illum odio habentibus.

Solutio: *Dæmones, & damnati non possunt non cognoscere euidenter Deum, vt summè bonum in se,* Concedo. *sibi,* Nego. *& concessa minori: ergo Deus peccatoribus, & illum odio habentibus repræsentatur vt summe bonus in se,* Concedo. *respectu ipsorum in quos exercet suam iustitiam,* Nego. *verum quidem est dæmones, & damnatos non ignorare Deo conuenire summam bonitatem, quia tamen maiores longe experiuntur effectus iustitiæ ipsi ss, dolor, qui excitatur in ipsis ex tolerantia tormentorum, excitat in ipsis primò repræsentationem Dei vt vindicis suorum criminum, & secundò odium illarum pœnarum, & infligentis illas tanquam sibi maxime mali.*

SECTIO IV.

De Fine.

OMISSIS iis, quæ diximus de fine in Physica, disputatione de causa finali, hîc breuiter cætera perstringemus.

PRIMA CONCLVSIO:

Homo in ſuis operationibus habet ſemper finem aliquem vltimum.

QVOD habet finem ſuarum operationum habet in illis finem aliquem vltimum; atqui homo habet finem ſuarum operationum: ergo homo in ſuis operationibus habet ſemper finem aliquem vltimum.

Maior pr. Quod habet in ſuis operationibus aliquid quod appetitur propter ſe, & alia propter ipſum, habet finem aliquem vltimum in illis; atqui qui habet finem ſuarum operationum habet aliquid quod appetitur propter ſe, & cætera propter ipſum: ergo & finem vltimum.

Maior pr. Finis vltimus eſt id, quod appetitur propter ſe, & cætera propter ipſum: ergo quod habet in ſuis operationibus aliquid, quod appetitur propter ſe, & cætera propter ipſum habet finem aliquem vltimum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Vnus eſt finis ſimpliciter vltimus omnium rerum creatarum.

FINIS vltimus ſimpliciter hominis, & rerum creatarum eſt illud propter quod vltimò factæ ſunt; atqui illud propter quod vltimò factæ ſunt vnicum eſt: ergo & vnus finis ſimpliciter vltimus illarum.

Minor pr. Illud propter quod vltimò factus est homo, & aliæ res creatæ, est illud, propter quod Deus illas produxit; atqui illud propter quod Deus produxit homines, & res alias creatas est vnicum: ergo & illud propter quod vltimò factæ sunt.

Minor pr. Deus fecit hominem, & alias res creatas propter suam bonitatem; atqui illa vnica est: ergo & id, propter quod illæ factæ sunt.

Maior pr. Bonitas Dei est ipsemet Deus; atqui omnia propter semetipsum operatus est Dominus, ait Sapiens: ergo Deus fecit hominem, & alias res creatas propter suam bonitatem.

Atque hic modus astruendi conclusionem efficacior est tum illo, qui desumitur ex eo, quod agens perfectissimum, quale est Deus, agere debeat propter finem omnium præstantissimum, qui non est alius à diuina gloria. Licèt enim Deus teneatur agere propter finem, aliter enim agere, est imperfectum; non tamen propter hunc potiùs, quàm illum, neque enim volitio, quæ intendit hunc minùs perfectum, est minùs perfecta perfectione, & bonitate formali alia, quæ intendit perfectiorem. Ambæ siquidem sunt infinitè perfectæ, quippe Deus. Bonitas autem obiectiua in qua secunda primam superat, nihil officit infinitati illi perfectionis. Tum alio deprompto ex amore infinito, quo Deus se amat, facit enim ille tantùm, vt necessariò sibi velit bonum necessarium, & intrinsecum, non autem extrinsecum, quale est gloria extrinseca.

Obiicies. Illud propter quod factæ sunt creaturæ, est multiplex: ergo non est vnus tantùm fi-

nis ſimpliciter vltimus illarum.

Antecedens pr. Illud propter quod res inſenſibiles, & ſenſibiles factæ ſunt eſt multiplex : ergo etiam & illud propter quod factæ ſunt creaturæ.

Antecedens probatur. Illud propter quod factæ ſunt creaturæ inſenſibiles ſunt animalia, & illud propter quod facta ſunt ipſa animalia eſt homo : atqui animalia, & homo ſunt verè quid multiplex : ergo & illud propter quod res ſenſibiles & inſenſibiles factæ ſunt.

Solutio : *Illud propter quod vltimò facta ſunt creaturæ inſenſibiles ſunt animalia*, Nego. *non vltimò*, Concedo. *& conceſſa minori : ergo illud propter quod res ſenſibiles, & inſenſibiles facta ſunt vltimo eſt multiplex*, Nego. *non vltimò*, Concedo. *Propter illud facta ſunt animalia vltimò, & res inſenſibiles ſimiliter, in quo quieuit intentio cauſæ productiuæ ipſorum. Intentio autem Dei, qui illis dedit eſſe, non quieuit in vllo alio, quam in ſua bonitate, licèt in illorum productione eam voluerit eſſe ſubordinationem, vt inſenſibiles deſeruirent ſenſibilibus, & ſenſibiles intellectualibus.*

TERTIA CONCLVSIO:

Homo intendere non poteſt ſimul plures fines ſimpliciter vltimos.

FINIS ſimpliciter vltimus eſt bonum maximè neceſſarium, & ſufficiens ad ſatiandum appetitum; atqui homo intendere non poteſt ſimul duo bona maximè neceſſaria, & quorum quodlibet

sit omninò sufficiens ad satiandum suum appetitum: ergo homo intendere non potest simul plures fines simpliciter vltimos.

Maior pr. Vt homo intendere possit duo bona simul, quorum quodlibet sit necessarium, & omnino sufficiens ad satiandum ipsius appetitum debet intellectus repræsentare eius voluntati posse esse simul duo bona, quorum quodlibet sit necessarium, & omnino sufficiens ad satiandum ipsius appetitum; atqui intellectus repræsentare non potest eius voluntati posse esse simul duo bona, quorum quodlibet sit necessarium, & omninò sufficiens ad satiandum eius appetitum: ergo intendere non potest simul duo bona maximè necessaria, & quorum quodlibet sit omninò sufficiens ad satiandum ipsius appetitum.

Minor. pr. Quod repræsentat posse esse simul duo bona, quorum quodlibet sit necessarium, & ad satiandum eius appetitum omnino sufficiens, repræsentat quodlibet ex illis esse sufficiens, & non esse sufficiens; atqui intellectus non potest repræsentare simul quodlibet ex illis esse sufficiens, & non esse sufficiens: ergo intellectus non potest repræsentare voluntati posse esse simul duo bona, quorum quodlibet sit necessarium, & omnino sufficiens ad satiandum ipsius appetitum.

Respondent *repræsentari sufficiens.*

Contrà. Illud non repræsentatur sufficiens ad quod repræsentatur aliud esse necessarium; atqui intellectus repræsentat ad quodlibet ex illis aliud esse necessarium: ergo nullum repræsentat esse sufficiens.

Maior probatur. Intellectus repræsentat aliud

esse finem simpliciter vltimum; atqui finis simpliciter vltimus est necessarius ad satiandum appetitum: ergo intellectus repræsentat ad quodlibet ex illis aliud esse necessarium.

Obiicitur. Non minùs homo potest intendere simul plures fines simpliciter vltimos, quàm successiuè; atqui potest successiuè: ergo & simul.

Maior pr. Non est maior repugnantia, vt homo appetat plures fines simpliciter vltimos simul, quàm successiuè: ergo non minùs potest illos intendere simul, quàm successiuè.

Antecedens pr. Homo de facto appetit simul plures fines simpliciter vltimos: ergo non est maior repugnantia vt eos appetat simul, quàm successiuè.

Antecedens pr. Qui committit simul plura peccata mortalia appetit simul plures fines simpliciter vltimos; atqui multi committunt simul plura peccata mortalia: ergo & appetunt simul plures fines simpliciter vltimos.

Maior pr. Ille appetit plures fines simpliciter vltimos, qui constituit in pluribus creaturis simul suum finem simpliciter vltimum; atqui qui committit simul plura peccata mortalia constituit suum finem simpliciter vltimum simul in pluribus creaturis: ergo appetit simul plures fines simpliciter vltimos.

Solutio: *Ille appetit plures fines simpliciter vltimos simul, qui in pluribus creaturis constituit simul suum finem simpliciter vltimum expressè, & formaliter*, Concedo. *interpretatiuè tantùm, seu imputatiuè*, Nego. atqui *qui committit simul plura peccata mortalia constituit suum finem simpli-*

citer vltimum simul in pluribus creaturis expressè, & formaliter, Nego. *tantùm interpretatiuè, seu imputatiuè*. Concedo.

Contrà. Ille constituit expressè, & formaliter finem suum vltimum simpliciter in creaturis, qui illas præfert summo bono; atqui qui committit plura peccata mortalia præfert creaturas summo bono: ergo constituit in illis expressè, & formaliter suum finem simpliciter vltimum.

Solutio: *Ille constituit expressè, & formaliter finem suum vltimum simpliciter in creaturis, qui illas præfert summo bono intentione expressa, & formali*, Concedo. *interpretatiua tantùm, & imputatiua*, Nego. atqui *qui committit plura peccata mortalia præfert creaturas summo bono intentione expressa, & formali*, Nego. *interpretatiua, seu imputatiua*, Concedo. *Intentio expressa, & formalis est illa, per quam facta comparatione duorum pluris fit vnum, quàm aliud quod non censetur habere tantum perfectionis, & bonitatis quantum aliud. Interpretatiua verò est illa, per quam non censetur vnum habere plus perfectionis, aut bonitatis, quàm aliud; ita tamen se gerit ille, qui eam habet, ac si reuera hoc ita existimaret.*

QVARTA CONCLVSIO:

Intentio finis simpliciter vltimi non præcedit necessariò intentiones finium particularium.

FINIS simpliciter vltimus est summum bonum,

& fines particulares bona inferiora; atqui intentio summi boni non præcedit necessariò intentiones bonorum aliorum inferiorum: ergo neque finium particularium.

Minor probatur. Summum bonum est Deus, & alia bona inferiora sunt creaturæ; atqui intentio Dei non præcedit necessario intentiones creaturarum: ergo neque bonorum aliorum inferiorum.

Minor pr. Intentio Dei est amor Dei, & intentio creaturarum est amor earumdem; atqui amor Dei non præcedit necessario amorem creaturarum: ergo neque intentiones creaturarum.

Minor pr. Vt amor Dei præcedat necessario amorem creaturarum, debet cognitio Dei, non tantùm præcedere cognitionem creaturarum, sed etiam inferre eius amorem necessario; atqui cognitio Dei non debet præcedere cognitionem creaturarum, & licèt præcederet non inferret necessario eius amorem: ergo amor Dei non præcedit necessario amorem creaturarum.

Prima pars minoris probatur.

Illius cognitio non præcedit cognitiones creaturarum, cuius difficiliùs habemus species quàm creaturarum; atqui difficiliùs habemus species Dei quàm creaturarum: ergo cognitio Dei non præcedit necessario cognitionem creaturarum.

Minor pr. Difficilius habemus speciem eius, quod cognoscimus tantùm per alienas; atqui cognoscimus Deum tantum per alienas species: ergo difficilius habemus eius species, quàm creaturarum.

Minor pr. Cognoscimus tantum res spiritales

per alienas ſpecies; atqui Deus eſt res ſpiritalis: ergo cognoſcimus eũ tantùm per alienas ſpecies.

Maior pr. Cognoſcimus tantum per alienas ſpecies id, quod ſenſus non cognoſcit; atqui ſenſus non cognoſcit res ſpiritales: ergo eas cognoſcimus tantum per alienas ſpecies.

Minor pr. Senſus cognoſcit tantum accidentia materialia: ergo non cognoſcit res ſpiritales.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, cognitionem Dei non inferre neceſſario eius amorem, probatur,

Cognitio Dei in hac vita eſt obſcura, & valdè imperfecta: ergo non infert neceſſario eius amorem.

Conſequentia pr. Illa cognitio non infert neceſſario amorem Dei, cum qua ſæpiſſimè ſtat eius odium; atqui cum cognitione obſcura Dei ſtat ſæpiſſimè eius odium: ergo non infert neceſſario eius amorem.

Minor pr. Odium Dei ſtat cum cognitione clara abſtractiua de ipſo: ergo & cum cognitione obſcura.

Antecedens pr. In peccatoribus ſiue Angelis, ſiue hominibus doctis eſt cognitio Dei clara abſtractiua; atqui cum illa ſtat odium Dei: ergo cum cognitione clara abſtractiua Dei ſtat ſæpiſſimè eius odium.

Antecedens pr. Peccatores ſiue Angeli, ſiue homines docti de facto odio habent Deum: ergo odium Dei ſtat cum cognitione clara abſtractiua, quam habent de ipſo.

QVINTA CONCLVSIO:

Nulla est obligatio cùm primum est vsus rationis præmittendi intentionem finis simpliciter vltimi intentionibus finium particularium.

ILLIVS nulla est obligatio, cuius non est præceptum neque naturale, neque positiuum; atqui non est præceptum, neque naturale, neque positiuum præmittendi intentionem finis simpliciter vltimi intentionibus finium particularium cùm primùm est vsus rationis : ergo nulla est obligatio in primo instanti rationis præmittendi intentionem finis simpliciter vltimi intentionibus finium particularium.

Secunda pars minoris clara est, nullibi enim extat illud preceptum, & prima pr.

Illud præceptum naturale est fictitium, quod nec ipsum, nec eius materia innotescit, neque innotescere potest moraliter; atqui præceptum præmittendi intentionem finis simpliciter vltimi intentionibus finium particularium, in primo instanti rationis nemini innotescit, neque innotescere potest moraliter, sicut nec eius materia: ergo nullum est.

Minor pr. Vsus rationis incipit esse cùm primùm est notitia boni, & mali moralis; atqui cùm primùm est notitia boni, & mali moralis vix innotescit, aut innotescere potest moraliter præceptum præmittendi intentionem finis simpliciter vltimi intentionibus

intentionibus finium particularium, aut eius materia: ergo in primo instanti rationis non innotescit illud præceptum, neque eius materia.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti, non innotescere materiam, & quod inde sequitur, & quæ est prima, neque etiam præceptum, probatur.

Materia huius præcepti est infinita Dei amabilitas; atqui in primo instanti rationis innotescere non potest moraliter infinita Dei amabilitas: ergo neque materia huius præcepti.

Minor pr. Illud innotescere non potest moraliter quod non patet per se, & nulla eius præcessit instructio; atqui infinita Dei amabilitas non patet per se, & nulla eius præcessit instructio: ergo non potest moraliter innotescere.

Minoris prima pars per se clara est, & secundam dubiam esse non sinit experientia in rusticis, barbaris, & similibus, quos nullus planè eam docet.

SEXTA CONCLVSIO:

Quidquid homo appetit cum ratione, non appetit propter beatitudinem.

ILLVD homo appetit cum ratione quod appetit liberè; atqui quidquid homo appetit liberè, non appetit propter beatitudinem: ergo quidquid homo appetit cum ratione, non appetit propter beatitudinem.

Minor pr. Illud homo non appetit propter beatitudinem, quod cùm appetit non repræsentatur ei beatitudo; atqui cùm homo appetit multa liberè, non repræsentatur ei beatitudo: ergo homo

non appetit propter beatitudinem quidquid liberè appetit.

Respondent : Atqui *cùm homo appetit multa libere, non repræsentatur ei beatitudo vera semper*, Concedo. *vera vel apparens*, Nego. ergo *quidquid homo libere appetit, non appetit propter beatitudinem veram semper*, Concedo. *veram, vel apparentem*. Nego.

Contrà. Beatitudo vera est Deus, & apparens diuitiæ v. g. atqui cùm homo appetit multa liberè non repræsentatur ei Deus, neque diuitiæ: ergo neque beatitudo vera, aut apparens.

Minor pr. Illud non repræsentatur nobis, de quo non cogitamus ; atqui cùm homo appetit multa libere, non cogitat neque de Deo, neque de diuitiis: ergo cùm homo appetit multa liberè, non repræsentatur ei Deus, neque diuitiæ.

Respondent : Atqui *cùm homo appetit multa libere non cogitat semper de Deo, neque de diuitiis actu, & expresse*, Concedo. *habitu, & non ita expresse, & cum palpabili aduertentia*, Nego. ergo *cum homo appetit multa libere, non repræsentatur ei Deus, neque diuitiæ semper actu, & expresse*, Concedo. *habitu, & non ita expresse, ac cum palpabili aduertentia*, Nego.

Contrà. Homo cùm appetit multa libere non cogitat de eo habitu, de quo non cogitauit antea actu; atqui cùm homo appetit multa liberè, non cogitauit antea actu de Deo, neque de diuitiis: ergo cùm appetit multa libere, non cogitat de Deo, neque de diuitiis habitu.

Minor pr. Prima die, in qua incipit esse vsus rationis, homo appetit multa liberè; atqui non co-

gitat ea die actu de Deo, aut de diuitiis, & de eis non cogitauit etiam antea: ergo cùm homo appetit multa libere, non cogitauit antea de Deo, aut de diuitiis.

Minor pr. Homo non cogitat de iis actu, quæ non patent ipsius sensibus, & per seipsa non incurrunt in eius oculos, aut de illis non instruitur; atqui Deus, & diuitiæ non patent sensibus hominis prima die, qua in eo incipit esse vsus rationis, & non patuere etiam antea; & de illis etiam nulla præcessit in eo instructio, neque tunc datur maximè in rusticis, & educatis in syluis: ergo homo prima die, qua in eo incipit esse vsus rationis non cogitat de Deo, aut de diuitiis, & de iis non cogitauit antea.

Respondent *ad precedens argumentum: Atqui non cogitat actu, nec cogitauit antea de Deo, aut de diuitiis, neque de seipso, volendo se perfectißimum,* Nego. *& cogitat de seipso volendo se perfectißimum,* Concedo. *ergo cùm homo appetit multa libere, non cogitat, nec cogitauit antea de Deo, aut de diuitiis, neque de seipso volendo se perfectißimum,* Nego. *& cogitat, & cogitauit de seipso volendo se perfectißimum,* Concedo.

Contra. Cogitare de seipsô non est cogitare de beatitudine: ergo nulla solutio.

Respondent: *Cogitare de seipso secundùm se sumpto, non est cogitare de beatitudine,* Concedo. *cogitare de seipso vt perfectißimo, non est cogitare de beatitudine,* Nego.

Contrà. Ex concessis non cogitare de seipso vt perfectissimo non est cogitare de beatitudine; atqui qui appetit multa liberè prima die, qua inci-

pit esse in eo vsus rationis, non cogitat de seipso vt perfectissimo: ergo non cogitat de beatitudine.

Minor pr. Cogitatio, & conceptus hominis vt perfectissimi exprimere debet, & ipsum hominem, & perfectiones omnes, quas potest habere; atqui qui appetit multa liberè prima die, qua in eo incipit esse vsus rationis, non habet conceptum exprimentem perfectiones omnes, quas potest habere: ergo non cogitat de seipso vt perfectissimo.

Minor pr. Perfectiones omnes, quas homo ille potest habere, non innotescunt ei per se, neque patent ipsius sensibus, & de iis nulla præcessit instructio, neque tunc datur maximè in rusticis, & educatis in syluis: ergo non habet cognitionem, & conceptum exprimentem omnes perfectiones, quas potest habere.

Respondent: ***Perfectiones omnes, quas ille homo potest habere non innotescunt ei per se distinctè***, Concedo. ***confusè quatenus scilicèt in ista alia continentur, aut ei sunt similes***, Nego.

Contrà. Aliæ non continentur in tam limitata, ac est illa, quæ appetitur, & ex aliis multæ non sunt ei similes: ergo perfectiones omnes, quas ille homo potest habere non innotescunt ei etiam confusè, & consequenter illas non appetit, nec per illas, & ratione illarum beatitudinem.

Pressi ratione allata contrarium sentientes recurrunt ad aliam responsionem ad argumentum suprà factum.

Cogitare de seipso non est cogitare de beatitudine: ergo nulla solutio.

Cogitare de seipso non est cogitare de beatitudine, nec excitare amorem sui ipsius, ex quo oriatur amor perfectionis, quæ appetitur, Nego. *& est excitare amorem illum, ex quo amor perfectionis quæ appetitur oritur, sicut & alij omnes, quo fit vt sit semper aliquis amor imperans alios omnes,* Concedo.

Contrà. Amor sui ipsius in illo homine non est distinctus ab eo, per quem appetit sibi multa illa, in quæ liberè tendit: ergo ex amore sui ipsius, non oritur deinde amor perfectionis illius, quæ appetitur.

Antecedens pr. Amor per quem appetit sibi illa, in quæ liberè tendit est amor sui ipsius: ergo non est distinctus ab amore sui ipsius.

Antecedens pr. Amare est velle sibi bonum, vel alteri: ergo amor per quem ille homo appetit sibi ea, in quæ liberè tendit est amor sui ipsius.

Respondent ad præcedens enthymema. *Amor per quem ille homo appetit sibi illa, in quæ tendit est amor sui ipsius particularis,* Concedo. *vniuersalis per quem vult sibi omne bonum, & ex quo sequuntur alij particulares,* Nego.

Contrà. Homini illi non repræsentatur omne bonum, ex impugnatione præcedentium responsionum, & ipse nullum aliud cognoscit, quàm illud particulare, quod appetit: ergo non est in illo homine amor vllus vniuersalis per quem velit sibi omne bonum.

Obiicies. Appetitiones omnes humanæ liberæ sunt propter beatitudinem: ergo quidquid homo appetit liberè, appetit propter beatitudinem.

Antecedens pr. Appetitiones omnes humanæ

liberæ ſunt propter finem vltimum; atqui beatitudo eſt finis vltimus: ergo ſunt propter beatitudinem.

Solutio: *Appetitiones omnes humanæ liberæ ſunt propter finem vltimum particularem, vel finem vltimum ſimpliciter*, Concedo. *propter finem vltimum ſimpliciter tantum*, Nego. atqui *beatitudo eſt finis vltimus ſimpliciter*, Concedo. *finis vltimus particularis, & ſecundum quid*, Nego.

Contrà. Appetitio quæ proficiſcitur, naſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter, eſt propter illum; atqui omnis appetitio humana libera proficiſcitur, naſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter: ergo omnes appetitiones humanæ ſunt propter finem vltimum ſimpliciter.

Minor pr. Omnis motus liber voluntatis in bonum proficiſcitur, naſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter; atqui omnis appetitio humana libera, eſt motus liber voluntatis in bonum: ergo proficiſcitur, naſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter.

Maior probatur. Tam omnis motus liber voluntatis in bonum proficiſcitur, naſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter, quàm motus rationis in verum à primo principio per ſe euidenti, & motus phyſicus à primo motore ſimpliciter; atqui motus rationis in verum dependet à primo principio per ſe vero, & phyſicus proficiſcitur, & naſcitur à primo motore: ergo omnis motus liber voluntatis in bonum proficiſcitur, & dependet à fine vltimo ſimpliciter.

Solutio: *Neganda eſt maior. Ratio eſt facilis, quia cum motus rationis in verum, ſeu concluſio*

tendat non tantùm in suum obiectum, sed etiam in illud præmissarum, & principiorum, ex quibus deducitur, non est mirum si dicatur dependere ab ipsis, sicut & motus physicus à primo motore, qui debet concurrere ad omne ens creatum. At motus voluntatis in bonum non habet vllam dependentiam ab vlla bonitate antecedenti, & eodem modo fertur in illam, ac si nulla esset alia, quod vel ex eo patet quòd ferri possit in bonitatem impossibilem, modò non repræsentetur ei illius impossibilitas.

SECTIO V.

In quo consistat beatitudo hominis obiectiua.

BEATITVDO duplex est, vna obiectiua, & altera formalis: prima est res illa, quam volumus nobis habere, & secunda dicitur ea esse, per quam nobis coniungimus primam. Secunda alia est naturalis quæ exigitur, & haberi potest naturæ viribus, alia supernaturalis quæ est supra vires, & exigentiam naturæ creatæ. Explicabimus primò quid sit beatitudo obiectiua, & sequenti sectione agemus de formali.

PRIMA CONCLVSIO:

Deus est nostra beatitudo obiectiua.

ILLVD est nostra beatitudo obiectua, quod satiare potest, & explere nostrũ appetitum; atqui Deus potest satiare, & explere nostrum appetitum: ergo Deus est nostra beatitudo obiectiua.

Minor pr. Illud satiare potest, & explere nostrum appetitum, quod est summum bonum; atqui Deus est summum bonum: ergo satiare potest nostrum appetitum.

Minor pr. Illud est summum bonum, quod continet formaliter, vel eminenter omne bonum; atqui Deus continet formaliter, vel eminenter omne bonum: ergo est summum bonum.

Minor pr. Ens à se continet formaliter, vel eminenter omne bonum; atqui Deus est ens à se: ergo & summum bonum.

Maior pr. Bonum est perfectio; atqui ens à se continet omnem perfectionem formaliter, vel eminenter: ergo & omne bonum.

Minor pr. Illud continet formaliter, vel eminenter omnem perfectionem, quod in se illam habet, vel illi dat esse; atqui ens à se vel habet in se omnem perfectionem, vel illi dat esse: ergo & illam continet.

Minor pr. Omnis perfectio vel est à se, vel ab alio; atqui illam quæ est à se habet in se, & illi quæ est ab alio dat esse: ergo ens à se, vel habet in se omnem perfectionem, vel illi dat esse.

SECVNDA CONCLVSIO:

Beatitudo nostra obiectiua non est honor, potestas, diuitiæ, voluptas, aut quidquam huiusmodi.

ILLVD non est beatitudo nostra obiectiua, cuius possessio non facit nos beatos; atqui possessio honoris, potestatis, voluptatis, &c. non facit nos beatos: ergo non sunt nostra beatitudo obiectiua.

Minor pr. Illius possessio non facit nos beatos, quod non satiat nostrum appetitum; atqui possessio honoris, potestatis, voluptatis, &c. non satiat nostrum appetitum: ergo non facit nos beatos.

Minor pr. Illud non satiat nostrum appetitum, quod cùm habemus alia appetimus; atqui cùm habemus honorem, potestatem, voluptatem, &c. alia appetimus: ergo non satiant nostrum appetitum.

Minor pr. Appetimus bona, quorum sumus capaces; atqui sumus capaces aliorum bonorum, etiam cùm habemus honorem, potestatem, voluptatem, &c. ergo cùm habemus honorem, potestatem, voluptatem, &c. appetimus alia bona.

Minor pr. Sumus capaces scientiæ, cognitionis Dei, &c. ergo & aliorum bonorum.

Obiicies. Diuitiæ nos reddunt beatos: ergo sunt nostra beatitudo obiectiua.

Minor pr. Illud nos reddit beatos, quod est summum bonum; atqui diuitiæ sunt summum

bonum: ergo nos reddunt beatos.

Maior pr. Illud eſt ſummum bonum, quod infinitè appetitur; atqui diuitiæ infinitè appetuntur: ergo ſunt ſummum bonum.

Solutio: *Illud eſt ſummum bonum, quod infinitè appetitur propter excellentiam, quam in ſeipſo habet*, Concedo. *ex inordinatione affectus tendentis in illud*, Nego. atqui *diuitiæ infinitè appetuntur propter excellentiam, quæ ſit in ipſis*, Nego. *ex inordinatione affectus eorum, qui illas volunt habere*, Concedo.

Contrà. Diuitiæ appetuntur propter excellentiam, quæ eſt in ipſis: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Diuitiæ appetuntur infinitè, vel propter excellentiam, quæ ſit in ipſis, vel propter defectum; atqui non propter defectum qui ſit in ipſis: ergo propter excellentiam.

Solutio: *Neganda eſt maior, & ratio eſt, quia licèt id, in quod tendit appetitus ſit aliqua bonitas, & excellentia diuitiarum, illa tamen non eſt tanta, vt mereatur appeti infinite, & conſequenter, quòd hoc modo appetatur, licet non proueniat ex defectu, qui ſit in ipſis, non eſt dicendum prouenire ex ipſarum excellentia, ſed inordinatione affectuum appetentis, qui eos ſine fine multiplicat erga id, circa quod paucos habere deberet, & non multum intenſos.*



SECTIO VI.

In quo consistit beatitudo hominis formalis.

COGNITIONES in quibus dici potest esse sita beatitudo, aliæ sunt intuitiuæ, quæ scilicet repræsentent beatitudinem obiectiuam, vt est in se per propriam speciem, & vt præsentem; aliæ sunt abstractiuæ, illæ nimirum, quæ repræsentant Deum per species creaturarum, seu ex consideratione perfectionum, quæ sunt in creaturis, & dependentia quam habent ab ente à se, iuuantur ad formandam cognitionem de ipso tribuentem illi omnes perfectiones creaturarum, seclusis ipsarum imperfectionibus, in quo casu vocant quidam creaturas illas motiuum cognitionis Dei, propterea quòd sint illius medium, & via per quam peruenitur ad ipsam.

PRIMA CONCLVSIO:

Beatitudo formalis hominis consistit primariò in actibus intellectus, secundariò in actibus voluntatis, vt proprietatibus.

BEATITVDO formalis primario consistit, vel in habitu, vel in operatione sensus interni, aut

voluntatis, aut intellectus; atqui primariò non consistit in tribus primis: ergo consistit in vltimo.

Duæ primæ partes minoris probantur.

In illis primario non consistit beatitudo formalis, quæ formaliter nobis non coniungunt beatitudinem obiectiuam; atqui neque habitus, neque operatio sensus interni coniungunt nobis formaliter beatitudinem obiectiuam: ergo non consistit in habitu, neque in operatione sensus interni.

Minor pr. Illud non coniungit nobis formaliter beatitudinem obiectiuam, quod nobis illam nullo modo coniungit, aut tantùm per aliud; atqui operatio sensus interni nullo modo nobis coniungit beatitudinem obiectiuam, & habitus tantùm per aliud: ergo habitus, & operatio sensus interni non coniungunt nobis formaliter beatitudinem obiectiuam.

Prima pars minoris probatur.

Illud nullo modo coniungit nobis beatitudinem obiectiuam, quod nullo modo illam attingit; atqui operatio sensus interni nullo modo attingit beatitudinem obiectiuam: ergo nullo modo eam nobis coniungit.

Minor pr. Operatio sensus interni nullo modo attingit illud, quod non est eius obiectum; atqui beatitudo obiectiua non est eius obiectum: ergo nullo modo attingit beatitudinem obiectiuam.

Minor pr. Beatitudo obiectiua est Deus; atqui Deus non est obiectum sensus interni: ergo neque beatitudo obiectiua.

Minor pr. Quod eſt ſpiritale, & perfectiſſimum omnium entium ſpiritalium, non eſt obiectum ſenſus interni; atqui Deus eſt ſpiritalis, & ens omnium perfectiſſimum: ergo non eſt obiectum ſenſus interni.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, habitum coniungere tantùm nobis per aliud beatitudinem obiectiuam, probatur.

Illud coniungit nobis tantùm beatitudinem obiectiuam per aliud, quod coniungit nobis illam tantùm per ſuum actum; atqui habitus coniungit nobis tantum beatitudinem obiectiuam per ſuum actum: ergo coniungit nobis illam tantùm per aliud.

Maior pr. Illud coniungit nobis tantùm beatitudinem per ſuum actum, cuius actus eſt repræſentatio, aut proſecutio ipſius, ipſum verò neutrum eſt; atqui actus productus ab habitu eſt proſecutio, aut repræſentatio beatitudinis, ipſe verò neutrum eſt: ergo coniungit illam nobis tantùm per ſuum actum.

Minor pr. Quod eſt tantùm facilitas ad proſecutionem, aut repræſentationem, non eſt repræſentatio, neque proſecutio beatitudinis; atqui habitus eſt tantùm facilitas ad repræſentationem, aut proſecutionem beatitudinis: ergo habitus non eſt neque repræſentatio, neque proſecutio beatitudinis.

Secunda pars minoris primi argumenti, ſcilicet beatitudinem non conſiſtere primario in actibus voluntatis, probatur.

In illo non conſiſtit beatitudo noſtra formalis primariò, quod ſupponit aliud, quod potiori iu-

re dicitur possessio beatitudinis obiectiuæ; atqui actus voluntatis supponunt aliud, quod potiori iure dicitur possessio beatitudinis obiectiuæ: ergo non consistit primariò in actibus voluntatis.

Minor pr. Actus voluntatis supponunt actus intellectus; sed actus intellectus dicuntur potiori iure possessio beatitudinis obiectiuæ: ergo actus voluntatis supponunt aliud, quod potiori iure dicitur possessio beatitudinis obiectiuæ.

Minor pr. Illud potiori iure dicitur possessio beatitudinis obiectiuæ, quod præsupponitur alteri, & illam facit nobis præsentem suo modo, quàm illud, quod in illam fertur, & ab ipsa quasi trahitur; atqui actus intellectus præsupponuntur actibus voluntatis, illam faciunt nobis præsentem, hi autem in illam feruntur, & ab ea quasi trahuntur: ergo actus intellectus potiori iure dicuntur possessio beatitudinis obiectiuæ.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Actus intellectus faciunt sibi præsens suum obiectum, & illi voluntatis ad illud feruntur; atqui beatitudo est vtrorumque obiectum: ergo actus intellectus illam faciunt nobis præsentem, & hi voluntatis in illam feruntur.

Obiicitur. In illo primariò consistit beatitudo, quod est magis propriè possessio, & consecutio beatitudinis obiectiuæ; atqui actus voluntatis sunt magis propriè possessio, & consecutio beatitudinis obiectiuæ quàm actus intellectus: ergo beatitudo consistit primariò in actibus voluntatis.

Minor probatur. Beatitudo obiectiua est summum bonum, & finis simpliciter vltimus; atqui actus voluntatis sunt potiùs consecutio summi boni, & finis simpliciter vltimi, quàm actus intellectus: ergo actus voluntatis sunt magis propriè possessio, & consecutio beatitudinis obiectiuæ.

Minor pr. Illud est potiùs consecutio summi boni, & finis simpliciter vltimi, quod ipsum habet pro obiecto proprio, & ad ipsum consequendum procurat media, quàm quod illud non habet pro obiecto proprio, & ad ipsum consequendum non procurat media; atqui actus voluntatis habent pro obiecto proprio summum bonum, & ad ipsum consequendum procurant media, actus verò intellectus minimè: ergo actus voluntatis sunt potiùs consecutio summi boni, & finis simpliciter vltimi, quàm actus intellectus.

Maior pr. Non potest esse alia ratio, cur quod non habet pro obiecto proprio summum bonum, neque procurat media ad ipsum consequendum sit potiùs illius consecutio, quàm quod id non facit, nisi quia istud facit nobis præsens summum bonum, cùm illud tantùm feratur in illud; atqui hæc ratio nulla est: ergo illud est potiùs consecutio summi boni, & finis simpliciter vltimi, quod ipsum habet pro obiecto proprio, & ad ipsum consequendum procurat media, quàm quod illud non habet pro obiecto proprio, & ad ipsum consequendum non procurat media.

Minor pr. Illud, quod coniungit nobis summum bonum, vt est in se, debet dici potiùs illius consecutio, quàm illud, quod tantùm nos vnit il-

li prout est in nobis; atqui quod fertur in summum bonum vnit nos illi provt est in se, & quod illud facit nobis præsens vnit nos tantùm illi provt est in nobis: ergo quod fertur in summum bonum debet dici potiùs illius consecutio, quam illud, quod facit nobis illud præsens.

Solutio: Atqui *quod fertur in summum bonum vnit nos illi provt est in se, & quod illud nobis facit præsens cognitione certa, intuitiua, vel abstractiua, vnit nos tantùm illi provt est in nobis*, Nego. *cognitione obscura, & dubia*, transeat. ergo *quod fertur in summum bonum debet dici potiùs illius consecutio, quàm illud, quod facit nobis illud præsens cognitione incerta, & dubia*, transeat. *cognitione certa, & clara*, Nego.

Contrà. Quod facit nobis præsens cognitione certa, & intuitiua summum bonum non est possessio illius: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Cognitio intuitiua diuitiarum facit nobis illas præsentes; atqui non est illarum possessio: ergo quod facit nobis præsens summum bonum cognitione certa, & intuitiua, non est possessio illius.

Solutio: Atqui *non est illarum possessio, & illæ non habent alium modum possessionis*, Nego. *& habent*, Concedo. ergo *cognitio intuitiua faciens nobis præsens summum bonum, non est possessio illius, & summum bonum habet alium modum possessionis*. Nego. *& non habet*, Concedo.

Contrà. Quod est possessio summi boni, etiamsi nõ habeat alium modum possessionis, non debet ordinari ad aliud; atqui cognitio intuitiua faciens nobis præsens summum bonum ordinatur

ad aliud : ergo quod facit nobis præsens summum bonum cognitione intuitiua, etiamsi ipsum non sit capax alterius modi possessionis, non est vera possessio.

Solutio : *Quod est possessio summi boni etiamsi ipsum non habeat alium modum possessionis, non debet ordinari ad aliud, quod non sit eius proprietas, aut quasi complementum*, Concedo. *quod sit eius proprietas, aut quasi complementum*, Nego. *Cognitio intuitiua faciens nobis præsens summum bonum ordinatur ad aliud, quod sit eius proprietas, aut quasi complementum*, Concedo. *quod non sit eius proprietas, aut quasi complementum*, Nego.

Contrà. Cognitio intuitiua summi boni ex D. Anselmo asserente peruersum esse ordinem amare, vt cognoscas, rectum verò cognoscere vt diligas, ordinatur ad amorem; atqui amor non est proprietas illius : ergo ordinatur ad aliud, quod non est eius proprietas.

Minor pr. Illud non est proprietas beatitudinis quod maximè commendatur in Scriptura cùm loquitur de beatitudine; atqui amor, & gaudium maximè commendantur in Scriptura cùm loquitur de beatitudine : ergo amor non est proprietas beatitudinis.

Solutio : *Illud non est proprietas beatitudinis, quod maximè commendatur in Scriptura tanquam primaria ratio, & ipsa substantia beatitudinis*, Concedo. *tanquam ratio secundaria, & quid consequens ipsius naturam & substantiam*, Nego. atqui *amor & gaudium maxime commendantur in Scriptura cùm loquitur de beatitudine*,

tanquam primaria ratio, & ipsa substantia beatitudinis, Nego. *tanquam ratio secundaria, & quid consequens ipsius naturam, & substantiam*, Concedo.

Contrà. Amor non est secundaria ratio beatitudinis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Beatitudo potest esse sine eo, quod est eius secundaria ratio, & quid consequens ad illam; atqui beatitudo non potest esse sine amore, & gaudio: ergo amor non est secundaria ratio beatitudinis.

Solutio: *Beatitudo potest esse sine eo, quod est eius secundaria ratio, & quid consequens ad illam, essentialiter sumpta*, Concedo. *completè sumpta*, Nego. atqui *non potest esse sine amore, & gaudio essentialiter sumpta*, Nego. *completè sumpta*, Concedo.

Contrà. Beatitudo essentialiter sumpta non potest esse sine amore, & gaudio: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Quod excludit omnem miseriam non potest esse sine amore, & gaudio; atqui beatitudo essentialiter sumpta excludit omnem defectum, & miseriam: ergo non potest esse sine amore, & gaudio.

Solutio: *Quod excludit omnem miseriam connaturaliter seu in actu primo, non potest esse naturaliter sine amore, & gaudio*, Concedo. *non potest esse supernaturaliter sine amore, & gaudio*, Nego. atqui *beatitudo essentialiter sumpta excludit connaturaliter omnem defectum, & miseriam*, Concedo. *si Deus agat supernaturaliter, & non attendendo ipsius exigentiam*, Nego. *De ratione quidem beatitudinis essentialis est, vt exigat ca-*

rentiam omnis planè miseriæ, eaque ei debeatur, nisi fiat ipsi vis, non tamen destruatur per hoc, quod huic ipsius exigentiæ non satisfiat, ac proinde licet non habeat amorem, quem exigit, non est censenda ideo non perseuerare, sicut nec ignis desiisse propterea quod non habeat calorem vt octo.

Contrà. Beatitudo formalis non perseuerat posita sola cognitione: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Beatitudo formalis non fit à nobis; atqui cognitio fit à nobis: ergo beatitudo formalis non perseuerat posita sola cognitione.

Maior pr. Nos non facimus nos beatos: ergo beatitudo formalis non fit à nobis.

Solutio: *Non nos facimus nos beatos adæquatè,* Concedo. *inadæquatè,* Nego. *Neque enim in hoc est maius inconueniens, quàm quod nos viuificemus, aut faciamus bonos, aut etiamsi pium opus concedatur nobis in præmium antecedentis præstiti præmiemus nos ipsos.*

Contrà. Nos non facimus non gratos, & sanctos sanctitate formali etiam inadæquatè: ergo neque beatos beatitudine formali.

Antecedens probatur. Ille non facit se gratum & sanctum sanctitate formali etiam inadæquatè qui non producit gratiam; atqui nos non producimus gratiam: ergo non facimus nos gratos, & sanctos sanctitate formali.

Solutio: *Ille non facit se gratum, & sanctum sanctitate formali etiam inadæquatè, qui non producit gratiam, neque in genere causæ efficientis physicæ, nec moralis,* Concedo. *qui producit illam in genere causæ efficientis moralis,* Nego. at-

qui *nos non producimus gratiam in genere causa efficientis physica*, Concedo. *in genere causæ efficientis moralis*, Nego. *intuitu enim nostri boni operis eliciti ex gratia Dei obtenta nobis per merita Christi Domini Deus infundit nobis gratiam sanctificantem & per quam iustificamur.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Beatitudo formalis naturalis hominis consistit in cognitione, & amore summi boni.

BEATITVDO formalis naturalis hominis non consistit tota in cognitione summi boni: ergo consistit in eius cognitione, & amore.

Antecedens pr. Sola cognitio summi boni, non est tota essentia beatitudinis naturalis hominis: ergo beatitudo formalis naturalis hominis non consistit tota in cognitione summi boni.

Antecedens pr. Illud non est tota essentia beatitudinis, cui non debentur, aut non includit ea quæ semper illam debent comitari; atqui sola cognitio naturalis summi boni non includit, neque ei debentur ea, quæ semper debent comitari beatitudinem naturalem: ergo sola cognitio summi boni, non est tota essentia beatitudinis naturalis hominis.

Minor pr. Amor summi boni includitur, aut saltem connexus est semper cum beatitudine naturali; atqui amor summi boni non includitur à cognitione sommi boni, neque ei debetur semper: ergo cognitio summi boni non includit, neque ei debentur ea, quæ semper debent comi-

tari beatitudinem naturalem.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur.

Cognitio summi boni, quam habent mali Angeli est longè perfectior iis, quas homines habent; atqui ei non debetur amor summi boni: ergo cognitioni summi boni non debetur eius amor.

Minor pr. Quod manet separatum ab alio sine vlla violentia ei non debetur; atqui cognitio summi boni manet in dæmonibus separata ab eius amore sine vlla violentia: ergo ei non debetur.

Minor pr. Nihil illis inferre potest violentiam illam, quàm Deus; atqui Deus non infert illis violentiam, vt impediat amorem summi boni, seu suæ bonitatis: ergo cognitio summi boni manet in dæmonibus separata ab eius amore sine vlla violentia.

Obiicies. Amor summi boni non est de essentia beatitudinis naturalis: ergo beatitudo formalis naturalis hominis non consistit in cognitione, & amore summi boni.

Antecedens pr. Sublato amore manet beatitudo formalis naturalis hominis: ergo amor non est de eius essentia.

Antecedens pr. In pueris non-baptizatis, & in hominibus in statu puræ naturæ post transactum tempus viæ perseuerasset semper beatitudo naturalis; atqui non perseuerasset amor; ergo sublato amore summi boni manet beatitudo naturalis.

Minor pr. Amor summi boni perseueraret in

illis liberè: ergo non semper perseueraret.

Consequentia pr. Non magis amor liber summi boni perseueraret semper in illis, quàm in statu viæ; atqui in statu viæ non perseueraret semper in illis: ergo neque post transactum tempus viæ.

Maior pr. Ratio huius maioris perseuerantiæ assignatur communiter protectio Dei specialis, quam meruerunt in statu viæ; atqui nullam huiusmodi protectionem Dei specialem meruerunt in statu viæ: ergo non magis amor liber summi boni perseueraret semper in illis, quàm in statu viæ.

Minor pr. Ille in statu viæ non meretur hanc protectionem Dei specialem, qui in eo non potest seruare totam legem, neque commissorum contra eam veniam impetrare; atqui illi in statu viæ non seruauerunt totam legem, neque veniam impetrarunt admissorum contra eam: ergo nullam huiusmodi protectionem Dei specialem meruerunt.

Prima pars minoris probatur.

Vires illorum ad seruandam totam legem non essent maiores iis, quas nos habemus; atqui nostræ seclusâ gratia per Christum, quâ illi caruissent, non sufficiunt ad seruandam totam legem: ergo illi in statu viæ non potuissent seruare totam legem.

Solutio: *Vires illorum intrinsecæ ad seruandam totam legem non essent maiores iis, quas nos habemus iam in natura corrupta*, Concedo. *vires extrinsecæ*, Nego. *Neque enim fuisset in illis rebellio tanta appetitus, & dæmoni non fuisset facta potestas eos op-*

pugnandi tam acriter; atqui *vires nostræ intrinsecæ sine illis extrinsecis amissis per peccatum, non sufficiunt ad seruandam legem*, Concedo. *cum illis extrinsecis*, Nego.

Secunda pars minoris superioris argumenti, quòd non potuissent veniam impetrare admissorum grauiter contra legem, pr.

Grauiter admissa contra legem expiari debent condigna satisfactione propria, vel aliena; atqui illi neutram exhibere potuissent: ergo non potuissent impetrare veniam grauiter admissorum contra legem.

Solutio: *Grauiter admissa contra legem expiari debent condigna satisfactione propria, vel alienâ, si non accedat fauor Dei specialis*, Concedo. *si accedat*, Nego. atqui *illi exhibere non potuissent condignam satisfactionem propriam, nec alienam, & non accessisset fauor Dei specialis acceptantis aliquem illorum actum naturalem bonum in expiationem delictorum ipsorum, habita ratione fragilitatis ipsorum, inconstantiæ, & impotentiæ aliud exhibendi*, Nego. *& accessisset huiusmodi fauor*, Concedo.

Tertia Conclusio:

Datur vera amicitia inter Deum, & homines.

Amicitia est mutua duorum beneuolentia ipsos non latens in honestate fundata; atqui datur huiusmod. beneuolentia inter Deum, & homines: ergo & vera amicitia.

Minor pr. Ad huiusmodi beneuolentiam hæc tantùm requiruntur: primum, vt sit amor mutuus: secundum, vt sit beneuolentiæ, hoc est propter bonum amici: tertium, vt sit vtrique cognitum: quartum, vt sit æqualitas inter ipsos, & quintum, vt sit cum communicatione; atqui hæc omnia reperiuntur in amicitia inter Deum, & homines: ergo & huiusmodi beneuolentia.

Prima pars minoris probatur.

Inter illos est amor mutuus, qui se mutuò amant; atqui Deus amat homines, & homines Deum: ergo inter Deum, & homines est mutuus amor.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Ille amor est beneuolentiæ, qui est propter commodum amici; atqui hominum amor erga Deum est sæpè propter ipsius commodum, & amor Dei erga homines est etiam propter ipsorum commodum: ergo amor Dei, & hominum est beneuolentiæ.

Tertia pars minoris superioris argumenti, amorem illum beneuolentiæ esse Deo, & hominibus cognitum, probatur.

Deus cognoscit amorem, quo ipsum prosequuntur homines, homines etiam non latet amor Dei erga ipsos: ergo amor inter Deum, & hominem est vtrique cognitus.

Prima pars antecedentis certa est, & secunda probatur.

Homines cognoscunt, quod Deus ipsis testatum reliquit in sacris paginis; atqui Deus reliquit testatum in sacris paginis diligentes se diligere;

gere : ergo homines non latet amor Dei erga ipsos.

Quarta pars minoris superioris argumenti, esse æqualitatem inter Deum, & homines, probatur.

Vt sit æqualitas inter Deum, & homines sufficiens ad amicitiam, satis est, vt homines sint participes naturæ diuinæ; atqui homines iusti sunt participes naturæ diuinæ : ergo est sufficiens æqualitas inter Deum, & homines.

Minor probatur. Filij Dei adoptiui sunt participes naturæ diuinæ : atqui iusti sunt filij Dei adoptiui : ergo & participes naturæ diuinæ.

Minor probatur. Qui habent gratiam sanctificantem sunt filij Dei adoptiui ; atqui iusti habent gratiam sanctificantem : ergo sunt filii Dei adoptiui.

Maior pr. Qui habent ius adeundi hæreditatem Dei sunt filii adoptiui Dei ; atqui qui habent gratiam habent ius adeundi hæreditatem Dei: ergo sunt filii Dei adoptiui.

Minor pr. Hæreditas Dei est visio clara, & intuitiua ipsius essentiæ ; atqui qui habent gratiam habent ius ad visionem claram, & intuitiuam essentiæ diuinæ : ergo & ad hæreditatem Dei.

Quinta pars minoris superioris argumenti probatur.

Communicatio requisita ad amicitiam petit communionem bonorum, communicationem secretorum, seu conuictum aliquem ; atqui est sufficiens communio bonorum inter Deum, & homines, communicatio quoque secretorum, seu

conuictus aliquis non deest : ergo amor inter Deum & homines est cum communicatione.

Prima pars minoris probatur.

Inter illos est bonorum communio qui vicissim sibi conferunt, quæ habent ; atqui Deus confert hominibus sua bona, & homines seipsos deuouent, & quæcumque habent Deo : ergo est sufficiens communio bonorum inter Deum, & homines.

Secunda pars minoris probatur.

Inter illos est communicatio secretorum, & conuictus aliquis, qui sibi mutuò colloquuntur, & quidem de rebus occultis ; atqui Deus, & homines sibi colloquuntur de rebus occultis valdè: ergo inter illos est communicatio secretorum.

Minor pr. Moses loquebatur facie ad faciem cum Deo in monte Sina de valdè occultis, & magni momenti: ergo Deus, & homines sibi colloquuntur de rebus occultis.

Antecedens pr. Futura sunt valdè occulta, & salus ingentis multitudinis hominum res maximi momenti ; atqui Deus loquebatur cum Mose de iis que futura erant populo Hebræo numerosissimo : ergo Moses loquebatur cum Deo de rebus valde occultis & magni momenti.

Obijcies. Inter illos non est vera amicitia, qui non se multò amant amore beneuolentiæ ; atqui Deus non amat homines amore beneuolentiæ: ergo non est vera amicitia inter Deum, & homines,

Minor probatur, Ille non amat homines amore beneuolentiæ, cuius amor erga homines non nititur proprio ipsorum commodo ; atqui amor

Dei erga homines non nititur proprio ipsorum commodo : ergo non amat homines amore beneuolentiæ.

Minor probatur. Ille amor erga homines non nititur proprio ipsorum commodo, qui non tendit in homines propter ipsos homines; atqui amor Dei erga homines non tendit in homines propter ipsos homines : ergo non nititur proprio ipsorum commodo.

Minor probatur. Ille amor non tendit in homines, propter ipsos homines, qui non sistit in ipsis, sed ipsos refert ad aliud; atqui amor Dei ergo homines non sistit in ipsis hominibus, sed ipsos refert ad suam bonitatem : ergo non tendit in homines propter ipsos.

Solutio : *Ille amor non tendit in homines propter ipsos homines qui non sistit in ipsis, sed ipsos refert ad aliud, si ipsis non velit bonum, quia ipsorum bonum est,* Concedo. *si ipsis velit bonum, quia est ipsorum bonum,* Nego. atqui *amor Dei erga homines non sistit in ipsis hominibus, sed ipsos refert ad suam bonitatem, & non vult ipsis bonum, quia est ipsorum bonum,* Nego. *& vult ipsis bonum, quia ipsorum bonum est,* Concedo. *Ratio est, quia si per impossibile Deus non necessitaretur amare, qua amat propter suam bonitatem, non desineret benefacere hominibus, atque ita verum est ipsos amare propter ipsos, & ipsis velle bonum, quia ipsorum bonum est, quamuis quia tenetur agere perfectissimo modo & propter finem omnium praestantissimum, referat ipsos & ipsis benefaciat propter suam bonitatem.*

SECTIO VII.

An ſtatus puræ naturæ ſit poſsibilis.

FRVSTRA nos diſputaſſe de beatitudine naturali hominis tertia concluſione præcedentis ſectionis ij volunt, qui negant ſtatum puræ naturæ eſſe poſſibilem, contendúntque nullum huiuſmodi fuiſſe; nec poſſe eſſe. Per ſtatum autem puræ naturæ intelligunt illum, in quo finis hominis vltimus, & media per quæ acquiri deberet, nihil haberent ſupra vires naturæ.

VNICA CONCLVSIO:

Status naturæ puræ eſt poſsibilis.

STATVS naturæ puræ eſt ille, in quo homo crearetur ſine vllis donis ſupernaturalibus, & ſine eleuatione ad finem ſupernaturalem; atqui homo creari poſſet ſine vllis donis ſupernaturalibus, & ſine eleuatione ad finem ſupernaturalem: ergo ſtatus naturæ puræ eſt poſſibilis.

Minor pr. Homo creari poteſt ſine eo, quod non requiritur neceſſario ad eius exiſtentiam, & conſeruationem; atqui dona ſupernaturalia, & eleuatio ad finem ſupernaturalem non requiruntur neceſſario ad exiſtentiam, & conſeruationem hominis: ergo homo creari poteſt ſine illis.

Minor pr. Quod eſt indebitum homini non re-

quiritur necessario ad eius primam existentiam, aut conseruationem; atqui dona supernaturalia, & eleuatio ad finem supernaturalem sunt indebita homini primò existenti, & conseruato: ergo non requiruntur ad eius existentiam, aut conseruationem.

Respondent primò: *Quod est indebitum homini non requiritur ad eius existentiam, aut conseruationem necessariò necessitate petita ex ipso homine*, Concedo. *necessitate petita ex ipsius creatore, Deo scilicet, qui nihil facere potest inordinatum, quale esset partem inferiorem rebellare aduersus superiorem, & hanc non posse illam cohibere*, Nego. *& concessa minori: ergo non requiruntur ad eius existentiam, aut conseruationem necessario necessitate petita ex ipso homine*, Concedo. *ex eius causa creatiua, Deo scilicet*, Nego.

Contrà. Quod requiritur necessario ad existentiam hominis necessitate licèt petita ex ipsius causa productiua non est illi indebitum; atqui dona supernaturalia, & eleuatio ad finem supernaturalem sunt indebita homini: ergo non requiruntur necessario vlla necessitate, neque ad eius existentiam, neque conseruationem.

Maior pr. Illud non est indebitum homini, quod causa eius productiua ei negare non potest; atqui quod requiritur ad eius existentiam necessario necessit. te licèt petita ex eius causa productiua, & eius conditione, hæc ei negare non potest: ergo non est illi indebitum.

Respondent: *Illud non est indebitum homini, quod causa eius productiua ei negare non potest, habita ratione ipsius hominis habentis ad hoc ius*

aliquod, Concedo. *habita ratione præcisè ipsius causæ, quam decet hoc ei concedere*, Nego. atqui *quod requiritur ad eius existentiam necessaria necessitate licet petita ex eius causa productiua, hoc ei negare non potest habita ratione ipsius hominis, & si præcisè ipse homo attenderetur*, Nego. *habita ratione ipsius causæ, quam dedeceret hoc ei negare*, Concedo.

Contrà. Quando effectus aliquis ita exigit causam, vt non possit habere aliam, quod debetur isti ad illius productionem, debetur etiam ipsi effectui saltem mediatè; atqui homo ita exigit suam causam productiuam, Deum scilicet, vt non possit esse ab alia: ergo quod debetur isti, & est in ipsa necessarium ad productionem hominis, debetur etiam isti saltem mediatè, & exigitur ab ipso.

Maior pr. Debetur effectui, quod exigit, & id omne, ad quod intelligi debet terminari eius exigentia; atqui quando effectus ita exigit aliquam causam, vt non possit habere aliam, exigit etiam, quod in ipsa requiritur, & est necessarium ad ei dandum esse: ergo quando effectus ita exigit causam, vt non possit habere aliam, quod debetur isti ad illius productionem, debetur etiam ipsi effectui saltem mediatè.

Minor pr. Exigit necessaria ad positionem sui esse: ergo & quod requiritur in causa ad illam ponendam.

Respondent *aliqui ad secundum argumentum factum superiùs in probationem conclusionis, conceden do primam partem minoris, & negando secundam: volunt siquidem finem vltimum hominis non posse*

non esse supernaturalem, admittendo tamen media, per quæ proponitur acquirendus à supremo legislatore posse esse naturalia.

Contrà. Existentia, & conseruatio hominis, siue homo primò existens, siue conseruatus non exigit finem supernaturalem: ergo eleuatio ad huiusmodi finem non requiritur necessario ad existentiam, & conseruationem hominis.

Antecedens pr. Finis ille supernaturalis est visio Dei; atqui homo siue primò existens, siue conseruatus non exigit visionem Dei: ergo homo primò existens, & conseruatus non exigit finem supernaturalem.

Minor pr. Visio Dei est supra exigentiam, & vires totius naturæ: ergo homo siue primo existens, siue conseruatus non exigit illam.

Antecedens pr. Quod non potest esse connaturale vlli intellectui creato est supra vires, & exigentiam totius naturæ; atqui visio Dei ex vnanimi consensu PP. & Theologorum non potest esse connaturalis vlli intellectui creato: ergo visio Dei est supra exigentiam, & vires totius naturæ.

Minor pr. Ius ad hæreditatem diuinam non potest esse connaturale vlli intellectui creato; atqui illi, cui connaturalis est visio Dei connaturale est etiam ius ad diuinam hęreditatem: ergo visio Dei non potest esse connaturalis vlli intellectui creato.

Maior probatur primò:

Ius ad hęreditatem diuinam non potest esse connaturale illi rei, quę essentialiter, & indispensabiliter est serua, & eximi non potest à vera,

& propriissima seruitute; atqui omnis intellectus creatus est essentialiter, & indispensabiliter seruus: ergo ius ad hæreditatem diuinam non potest esse connaturale vlli intellectui creato.

Maior pr. Ille cui ius ad diuinam hæreditatem est connaturale est connaturaliter, & naturâ suâ filius Dei adoptiuus; atqui ille, qui essentialiter, & indispensabiliter est seruus, non potest connaturaliter, & naturâ suâ esse filius Dei adoptiuus: ergo ius etiam ad diuinam hæreditatem non potest esse ei connaturale.

Maior pr. Ille non est connaturaliter, & naturâ suâ filius Dei adoptiuus, qui ad hoc indiget fauore, & gratia speciali; atqui qui est essentialiter seruus indiget gratia, & fauore speciali, vt possit esse filius adoptiuus: ergo non potest hoc habere connaturaliter, & naturâ suâ.

Minor pr. Adoptio non tantùm eius, qui est seruus, sed etiam eius, qui non est seruus, est fauor, & quidem magnus erga adoptatum: ergo qui est essentialiter seruus indiget gratia, & fauore speciali vt possit esse filius adoptiuus.

Minor superioris argumenti, illi cui connaturalis est visio connaturale etiam esse ius ad diuinam hæreditatem, probatur.

Visio Dei est diuina hæreditas: ergo cui connaturalis est visio, connaturale etiam est ius ad diuinam hæreditatem.

Respondent *ad argumentum superius factum*; Atqui *visio Dei non potest esse connaturalis vlli intellectui creato, vt corona iustitiæ, & acquirenda per merita supernaturalia, & æqualis valoris*, Concedo. *vt obtinenda per actiones naturales*.

morales, Nego. ergo *visio Dei est supra exigentiam, & vires naturæ, vt corona iustitiæ, & acquirenda per media supernaturalia, & æqualis valoris*, Concedo. *vt obtinenda per actiones morales, & vt donum liberalitatis*, Nego.

Contrà. Quocunque modo obtinenda sit visio Dei non est connaturalis vlli intellectui creato, & est supra vires, & exigentiam totius naturæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ius ad hæreditatem diuinam est supra vires, & exigentiam naturæ quocunque modo obtineatur: ergo & visio Dei.

Antecedens pr. Adoptio Dei est supra vires, & exigentiam totius naturæ: ergo & ius ad hæreditatem diuinam.

Antecedens pr. Adoptio eius, qui est essentialiter seruus, est maximus fauor, & gratia præcipua: ergo est supra vires, & exigentiam naturæ.

Consequentia pr. Illud non est maximus fauor, & gratia præcipua quod est debitum, & exigitur à natura; atqui adoptio ex concessis est gratia præcipua, & maximus fauor: ergo non est debita vllo modo, & non exigitur à natura.

Respondent: Atqui *adoptio est gratia præcipua, & maximus fauor quoad modum, quo acquiritur iam à nobis vt corona iust.tiæ, cùm posset acquiri præcisè vt donum liberalitatis*, Concedo. *secundùm se, & præscindendo ab illo modo, quo acquiritur*, Nego.

Contrà primò. Iuxta responsionem, adoptio secundùm se non est donum liberalitatis, nec fauor, nec gratia; atqui ex sensu PP. & Theo-

logorum est maximus fauor, & gratia præcipua, sumpta etiam secundùm se: ergo non est tantùm gratia secundùm modum, quo acquiritur, vt corona iustitiæ.

Contrà secundò. Creaturæ, cui debetur adoptio secundùm se, debetur etiam modus acquirendi illam, vt est corona iustitiæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Modus acquirendi adoptionem, vt est corona iustitiæ, consistit in acquisitione eius per media supernaturalia; atqui ei, cui debetur adoptio secundùm se debetur etiam modus acquirendi illam per media supernaturalia: ergo creaturæ, cui debetur adoptio secundùm se, debetur etiam modus acquirendi illam vt est corona iustitiæ.

Minor pr. Habenti ius ad adoptionem debetur etiam nobilissimus modus agendi, & nobilior quam ei, qui non haberet tale ius; atqui nobilissimus modus agendi, & nobilior eo, qui debet esse in eo, qui non haberet tale ius, debet obtinere adoptionem per media supernaturalia: ergo ei, cui debetur adoptio debetur etiam modus acquirendi illam per media supernaturalia.

Maior probatur primò.

Ideo ex PP. & Theologis gratiæ sanctificanti debetur modus agendi nobilissimus, & per actiones supernaturales, quia est ius ad visionem Dei, & hæreditatem æternam: ergo etiam habenti ius ad adoptionem debetur etiam nobilissimus modus agendi, & per media supernaturalia.

Minor præcedentis argumenti probatur secundò.

Modus obtinendi adoptionem diuinam in eo, qui non haberet ius ad illam, est per actiones naturales morales; atqui modus alius nobilior illo, est ille, qui est per actiones supernaturales: ergo modus nobilissimus agendi, & nobilior eo, qui est in eo, qui non haberet tale ius, debet esse per actiones supernaturales.

Obiicies. Ille status nostræ naturę non est possibilis, in quo impossibilis esset ei consecutio eius quod appetit; atqui in statu puræ naturæ impossibilis ei esset consecutio eius, quod appetit: ergo status puræ naturæ non est possibilis.

Minor pr. Nostra natura appetit beatitudinem & fœlicitatem; atqui consecutio beatitudinis, & fœlicitatis esset illi impossibilis in statu puræ naturæ: ergo & eius, quod appetit.

Minor pr. Beatitudo, & fœlicitas nostra est possessio summi boni; atqui in statu puræ naturæ impossibilis esset nobis consecutio possessionis summi boni: ergo & beatitudinis, & fœlicitatis.

Minor pr. Possessio summi boni consistit in optima operatione præstantissimæ facultatis circa optimum obiectum; atqui huiusmodi operatio esset impossibilis in statu puræ naturæ: ergo & consecutio possessionis summi boni.

Minor pr. Optimum obiectum est Deus, & optima operatio præstantissimæ facultatis circa ipsum est cognitio intuitiua, seu visio ipsius faciei ad faciem; atqui huiusmodi visio esset impossibilis in statu naturæ puræ: ergo & optima operatio præstantissimæ facultatis nostræ circa optimum obiectum.

Solutio: *Optimum obiectum est Deus, & optima operatio præstantissimæ facultatis circa ipsum est cognitio intuitiua, seu visio ipsius facie ad faciem in natura pura*, Nego. *in natura eleuata ad finem supernaturalem*, Concedo. atqui *huiusmodi visio esset impossibilis in statu naturæ puræ, & est operatio propria illius status, & quid pertinens ad illum*, Nego. *& non est operatio propria illius status, & ad illum non pertinens*, Concedo.

Contrà. Exemptio à miseria omninò necessaria est ad consecutionem possessionis summi boni, & non potest dici non esse propria status puræ naturæ, & pertinere ad illum; atqui exemptio à miseria esset impossibilis in statu puræ naturæ: ergo & aliquid necessarium ad consecutionem summi boni, proprium tamen status puræ naturæ; & pertinens ad illum.

Minor pr. Error in intellectu, & obscuritas, rebellio appetitus contra voluntatem, perturbatio passionum, & peruersitas affectuum ipsius, mors, & morbi in corpore, cæteráque istius modi sunt veræ, & magnæ miseriæ; atqui in statu puræ naturæ impossibilis est exemptio ab erroribus, & obscuritatibus in intellectu, rebellione appetitus contra voluntatem, perturbatione passionum, & peruersitate affectuum, morte, morbis, & aliis incommodis corporis: ergo & exemptio à miseria.

Minor pr. Exemptio ab errore, & obscuritate in intellectu, rebellione appetitus contra voluntatem, perturbatione passionum, & peruersitate affectuum, morte, morbis, & aliis incommodis corporis haberi tantùm potest, vt in statu inno-

centiæ, per dona ſupernaturalia; atqui in natura pura nullùm eſt donum ſupernaturale: ergo in ſtatu naturæ puræ impoſſibilis eſt exemptio ab erroribus, & obſcuritatibus in intellectu, rebellione appetitus contra voluntatem, perturbatione paſſionum, peruerſitate affectuum, morte, morbis, & aliis incommodis corporis.

Maior probatur. Quod haberi non poteſt per vires naturæ; haberi tantùm poteſt per dona ſupernaturalia; atqui exemptio ab errore, & obſcuritate in intellectu, rebellione appetitus, perturbatione paſſionum in ipſo, peruerſitate affectuum voluntatis, morte, morbis corporis, & aliis iſtius malis haberi non poteſt per vires naturæ: ergo haberi tantùm poteſt per dona ſupernaturalia.

Minor probatur. In natura lapſa haberi non poteſt huiuſmodi exemptio per vires naturæ: ergo neque in ſtatu puræ naturæ.

Conſequentia pr. Vires naturales in natura lapſa non ſunt imminutæ: ergo exemptio, quæ haberi non poteſt per ipſas in natura lapſa, non poteſt etiam haberi per illas naturæ puræ.

Solutio: *In natura lapſa immunitæ non ſunt vires naturales intrinſecæ*, Concedo. *extrinſecæ*, Nego. *Vires intrinſecæ ſunt facultates animæ, & corporis: extrinſecæ vero protectio Dei ſpecialis pro vitatione errorum, compreſſione rebellionis appetitus, & præſeruatione mortis, & morborum, quæ protectio exigeretur à natura pura, & ut exhiberetur ipſi neceſſarium non eſſet ullum donum ſupernaturale. Caueri enim poterat mors in ſtatu innocentiæ auxilio ligni vitæ, cuius virtus erat*

naturalis. Imò ex mente D. Augustini existimantis Adamum peccasse priùs peccato superbiæ, quàm peccato inobedientiæ in esu pomi. dicendum videtur, cùm per illud primum peccatum amiserit dona supernaturalia ipsi infusa, non autem potestatem dominandi appetitui, hanc fuisse in ipso per donum aliquod naturalis ordinis, quo in pœnam peccati secundi fuit deinde spoliatus. Ex quo facilè potest intelligi, naturam puram per donum naturale potuisse & non experiri adeo rebellem appetitum, ac experitur natura lapsa, & potuisse faciliùs cognoscere verum, abstinere à malo, & immunem esse à malis corporis.

Contrà. Vires extrinsecæ maiores in natura pura, quàm in lapsa sunt ex concessis protectio Dei specialis, non auferentis quidem omnem rebellionem appetitus sensitiui, sed illam moderantis & minuentis; atqui Deus non potest moderari hoc modo, & minuere tantùm rebellionem appetitus sensitiui: ergo vires extrinsecæ naturæ puræ, non essent maiores viribus naturæ lapsæ.

Minor probatur. Deus non potest non auferre rebellionem appetitus in natura pura: ergo non potest minuere illam tantùm.

Antecedens pr. Deus nihil potest facere inordinatum; atqui non auferens rebellionem appetitus in natura pura, facit aliquid inordinatum: ergo non potest non auferre illam.

Minor probatur. Est maximè inordinatum, quòd appetitus sensitiuus non subiiciatur rationi, & rebellet aduersus ipsam; atqui Deus non auferens illam rebellionem in natura pura facit

hanc inordinationem: ergo Deus non auferens rebellionem appetitus facit aliquid inordinatum.

Solutio: *Est maximè inordinatum vt appetitus sensitiuus non subiiciatur rationi, & rebellet aduersus ipsam si hæc non possit illum domare, & continere in officio,* Concedo. *si possit,* Nego. atqui *Deus non auferens omninò rebellionem appetitus facit hanc inordinationem, hoc est facit vt ratio non possit domare, & continere in officio appetitum,* Nego. *vt possit frænare ipsum, & moderari,* Concedo. *In hoc autem tantùm abest vt sit aliqua inordinatio, vt potiùs mirari liceat diuinam prouidentiam, quæ per contrarietatem illam duarum illarum partium, cum attemperatione tamen illa, vt quæ est superior possit semper redire victrix ex pugna, prabuerit ipsi amplas, & magnas occasiones reportandi insignes victorias.*

Contrà. Frænatio appetitus, & victoriæ de illius rebellione non possunt haberi in natura pura: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Frænatio appetitus, & victoriæ de illius rebellione merentur remunerationem, atqui ea non potest haberi, nec dari in statu naturæ puræ: ergo frænatio appetitus, & victoriæ de illius rebellione non possunt haberi in natura pura.

Minor pr. Remuneratio illa est concessio beatitudinis; atqui ea non potest haberi, nec dari per concessionem beatitudinis: ergo remuneratio frænationis appetitus, & victoriæ de illius rebellione non potest haberi, nec dari in statu naturæ puræ.

Minor pr. Vt illa remuneratio detur per beatitudinem debent in beatitudine esse varij gradus quorum plures dentur vni,& pauciores alteri pro quantitate remunerationis debitæ; atqui in beatitudine non possunt esse illi varij gradus: ergo remuneratio illa non potest haberi, nec dari per concessionem beatitudinis.

Minor pr. Beatitudo in natura pura est cognitio Dei abstractiua; atqui non sunt varij gradus in cognitione Dei abstractiua: ergo neque in beatitudine.

Minor pr. Cognitio Dei abstractiua in omnibus animabus est æqualis planè: ergo non sunt varij gradus in illa.

Antecedens probatur. Cognitiones abstractiuæ obiecti per idem motiuum sunt omnes æquales; atqui motiuum cognitionis abstractiuæ Dei in animabus est idem planè, aut saltem omninò æquale: ergo cognitio Dei abstractiua in omnibus animabus est planè æqualis.

Solutio: *Cognitiones abstract.uæ obiecti per idem motiuum, & æquè perfectè repræsentatum, & penetratum, aut à principio æquè adiuto, & non perfectiori, sunt omnes æquales,* Concedo. *non æquè penetratum, aut à principio non æquè adiuto, aut perfectiori,* Nego. atqui *motiuum cognitionis abstractiuæ Dei in animabus est idem planè, aut omninò æquale, & est æquè perfectè repræsentatum, & penetratum, aut à principio æquè adiuto, & non fortiori, aut perfectiori,* Nego. *& potest non esse æquè penetratum, & à principio non æquè adiuto, & tam perfecto,* Concedo.

Per motiuum intelligunt auctores qui hoc vtun-

tur argumento contra nos, medium, per quod anima cognoscit Deum abstractiuè, seu illud quod est obiectum formale conclusionis illius, per quam inferimus Dei existentiam, ipsius naturam, & proprietates. Cognitio enim abstractiua in hoc differt ab intuitiua, quod hæc tendat in obiectum per propriam speciem vt præsens, & vt est in se, neque adhibeat aliud ad cuius similitudinem sibi illud efformet: abstractiua verò percipit tantùm suum obiectum per alienas species, & ad modum alterius rei, quam percipit immediatè, & in se, & à qua quis præscindit ab eo, quod est ipsi proprium, id quod potest transferri ad aliud, quod repræsentat, dicitur abstractiua. Illa v. g. quam format animus solutus à corpore de Deo per species sui, & aliarum substantiarum materialium, & spiritalium, quas intuetur immediatè, transfert in Deum perfectiones, quas nouit esse in istis seclusis imperfectionibus, quæ istarum sunt propria, & Deo conuenire non possunt.

Contrà. In animabus solutis à corpore motiuum cognitionis abstractiuæ Dei æquè perfectè repræsentatur, & penetratur, & repræsentatio illius non est à principio magis adiuto, & perfectiori: ergo omnes cognitiones abstractiuæ Dei sunt æquales.

Antecedens pr. Motiuum & simul principium cognitionis Dei abstractiuæ est entitas animæ v. g. atqui entitas animæ æquè perfectè repræsentatur & penetratur, & principium illius repræsentationis est semper æquè adiutum, & perfectum: ergo motiuum cognitionis abstractiuæ Dei æquè perfectè repræsentatur, & penetratur,

& repræsentatio illius non est à principio magis adiuto,& perfectiori.

Minor pr. Motiuum, quod perfectè comprehenditur æquè perfectè repræsentatur, & penetratur: & principium illius repræsentationis est æquè adiutum semper, & perfectum, quod est idem planè,& non eget alio comprincipio; atqui entitas animæ perfectè comprehenditur,& principium illius comprehensionis est idem planè, & non egens alio comprincipio: ergo entitas animæ æquè perfectè repræsentatur, & penetratur, & principium illius repræsentationis est semper æquè adiutum, & perfectum.

Minor pr. Illud perfectè comprehenditur à principio cognoscente, quod habet cum ipso magnam proportionem, non est magis perfectum, & est debitè applicatum; atqui entitas animæ habet tres illas conditiones respectu sui ipsius: ergo perfectè comprehenditur, & principium illius comprehensionis non eget alio comprincipio.

Solutio: *Quod habet magnam proportionem cum principio cognoscente, non est ipso magis perfectum, & est ei debitè applicatum, ab ipso perfectè comprehenditur, si ad illam comprehensionem semper æquè iuuetur*, Concedo. *si non semper æquè iuuetur*, Nego. atqui *entitas animæ habet secum magnam proportionem, & maximam applicationem, & semper non æquè iuuatur ad formandam illam comprehensionem*, Concedo. *& semper æquè iuuatur*, Nego. *Cùm enim in confesso sit apud omnes animam iuuari ad primas suas cognitiones ab obiectis, aut speciebus supplentibus absen-*

tiam obiecti, & ad secundas ab speciebus relictis à primis suis actibus, negari non potest animam posse iuuari ad seipsam cognoscendam ab speciebus intensioribus, aut alio simili comprincipio, & ex huius auxilio formari ab ipsa perfectiorem cognitionem, quàm cùm non habet huiusmodi auxilia. Quod ex eo confirmari potest primò, quòd cùm minui possit virtus animæ per applicationem vehementem, & attentionem ipsius ad percipienda alia obiecta, admittendum etiam sit posse augeri, & per illud augmentum suppleri quod virtutis illius fuit imminutum. Secundò ex eo, quod idem oculus cum æquali specie luminis clariùs lumen illud videat vno tempore, quàm alio, cùm nimirum in isto caret aliquo comprincipio, quod habebat in alio, & per quod iuuabatur ad illam clariorem cognitionem. Ex quo proinde inferri debet, & animam formare posse modò non ita perfectas cognitiones de seipsa, modò perfectiores, & consequenter ad has habere etiam modò minus, modò magis perfectas de Deo, per quas saluetur inæqualitas premij in inæqualibus meritis.

Contrà. Quæuis anima habens comprehensionem sui, licèt in æquali perfectione cum alia, habet cognitionem Dei abstractiuam; atqui quæuis anima non habet huiusmodi cognitionem: ergo quæuis anima non habet comprehensionem sui licèt in inequali perfectione.

Minor pr. Cognitio Dei abstractiua est beatitudo; atqui quæuis anima, illa scilicet, quæ est mala, non habet beatitudinem: ergo neque cognitionem Dei abstractiuam.

Solutio: *Cognitio Dei abstractiua quæcunque*

est beatitudo , Nego. *Dei vt remuneratoris* , *&* *nobis summè boni* , transeat. *&* *concessa minori* : ergo *quæuis anima non habet cognitionem abstractiuam Dei vt remuneratoris* , *&* *nobis summè boni* , Concedo. *vt vindicis propriorum criminum*, *aut aliam quamcunque* , Nego. *Ista enim non potest dici beatitudo* , *cùm ei non coniungatur* , *nec possit coniungi complementum beatitudinis* , *amor & voluptas* , *sed eis contraria* , *odium scilicet* , *& dolor*.

Cæterùm primò multa habet Deus, quibus iuuet animam ad formandas clariores cognitiones de seipsa, & de aliis creaturis, per quas cognoscit Deum; neque enim fingi potest non esse possibilia alia entia naturalia, quæ habeant vim consficiendi cum anima cognitionem de seipsa, & alias, quæ sequuntur ex ista.

Secundò, non desunt etiam ipsi, quibus vis quam habet ad seipsam tam perfectè cognoscendam impediatur. Huiusmodi possunt esse cùm eam applicat valdè perceptioni alicuius obiecti, vt in damnatis memoriæ suorum criminum, & tormentorum. Qua ratione virtus intellectiua animæ valdè imminuta minor est ad producendas suas alias cognitiones in tanta perfectione, in quanta illas produceret si totis suis viribus vteretur: iux a quem sensum loquuntur Theologi, cùm asserunt animas damnatas non posse auertere cogitationem à criminibus suis, & pœnis, quas propter illa patiuntur, & prauentas, & semper versantes huiusmodi cognitiones erumpere in affectus prauos, & bonos non habere, neque adeo perfectè de aliis obiectis iudicare eo modo, quo qui pas-

ſione aliqua vehementi agitantur difficilè percipiunt, quæ ipſis prius erant facilia.

Tertiò, quemadmodum quando propoſito nobis medio fuimus aſſenſi, ſi deinde, quod per illud cognouimus diligentiùs inſpiciamus, perfectius illud adhuc percipimus: ita etiam anima ſoluta à corpore Deum per ſe ipſam, & alias creaturas cognitum diligentiùs contemplando poteſt illum perfectiùs cognoſcere. Neque enim probabile eſt animam nihil noui addiſcere poſſe de obiecto quod ſemel nouit. Ex tribus ergo allatis capitibus peti debet inæqualitas cognitionum abſtractiuarum animarum ſolutarum à corpore: primò, quòd principium productiuum illarum poſſit vno tempore habere plura auxilia ad illas producendas quàm alio: ſecundò quòd vis animæ ad illas producendas poſſit eſſe modò maior, modò minor; cùm ſcilicet applicata perceptioni vehementi aliorum obiectorum minuitur, & fit minor ad alia intelligenda: tertiò, quia poteſt ſe vno tempore magis applicare, quàm alio ad penetranda ea, quæ ipſa prima perceptione obiecti ipſi non innotuerunt. Animæ autem damnatæ licèt haberent eadem auxilia, ac beatæ ad percipiendum Deum, & non minueretur earum vis per eius applicationem ad repræſentationem ſuorum criminum, & pœnarum: eam tamen ipſæ non applicarent ad clarius penetrandas perfectiones Dei, quem oderunt, & ex illo odio cùm non poſſint auferre illi ſuas perfectiones, vellent ſaltem ignorari & neſciri tum à ſe, tum ab aliis.

SECTIO VIII.

De Appetitu beatitudinis.

PRIMA CONCLVSIO:

Appetimus necessariò quoad specificationem beatitudinem in communi.

ILLVD appetimus necessariò quoad specificationem, quod odisse non possumus; atqui non possumus odisse beatitudinem in communi, & vt sic: ergo appetimus eam necessariò quoad specificationem.

Minor pr. Illud odisse non possumus in quo nulla apparet ratio mali; atqui in beatitudine in communi,& vt sic nulla apparet ratio mali: ergo non possumus odisse beatitudinem in communi.

Minor pr. Beatitudo in communi, & vt sic est summa bonitas; atqui in summa bonitate vt sic nulla apparet ratio mali: ergo in beatitudine in communi,& vt sic nulla apparet ratio mali.

Minor pr. In eo non apparet ratio mali,& malitia, in quo non repræsentatur nisi bonitas;atqui in summa bonitate vt sic non repræsentatur nisi bonitas; ergo in ea non apparet ratio mali.



SECVNDA CONCLVSIO:

Appetimus necessariò quoad exercitium beatitudinem in communi.

PER appetitionem necessariam quoad exercitium beatitudinis in communi potest intelligi appetitio, quæ non potest suspendi, & cohiberi posita repræsentatione beatitudinis in appetente; atqui posita repræsentatione beatitudinis in appetente, non potest suspendi ab isto appetitio illius: ergo appetit necessariò quoad exercitium beatitudinem.

Maior probatur primò.

In intellectu per assensum conclusioni necessarium, quoad exercitium, intelligitur assensus, qui non potest suspendi positis præmissis, quæ requiruntur vt possit poni: ergo per appetitionem necessariam quoad exercitium beatitudinis in communi potest intelligi appetitio, quæ non potest cohiberi, & suspendi posita in appetente repræsentatione ipsius, quæ requiritur vt poni possit.

Minor præcedentis argumenti probatur secundò.

Appetitio non potest suspendi ab appetente circa id, quod ei repræsentatur summè amabile; atqui beatitudo posita repræsentatione ipsius, repræsentatur ei summè amabilis: ergo non potest suspendi ab ipso appetitio beatitudinis.

Maior pr. Appetio non potest suspendi circa summè appetibile: ergo neque circa summè amabile.

Antecedens pr. Illud circa quod poteſt ſuſpendi appetitio non eſt tam appetibile, ac illud circa quod non poteſt ſuſpendi: ergo appetitio non poteſt ſuſpendi circa ſummè appetibile.

Minor ſuperioris argumenti, beatitudinem poſita repræſentatione ipſius in appetente repræſentari ſummè amabilem, probatur.

Summa bonitas repræſentatur ei, in quo eſt eius repræſentatio ſummè amabilis; atqui beatitudo eſt ſumma bonitas: ergo beatitudo poſita repræſentatione ipſius, repræſentatur ſummè amabilis.

Maior pr. Summa bonitas repræſentatur ei, in quo eſt eius repræſentatio magis amabilis, quàm vlla alia bonitas: ergo repræſentatur ei ſummè amabilis.

Antecedens pr. Bonitas, quæ non repræſentatur magis amabilis, quàm vlla alia, non eſt ſumma in illa repræſentatione, & vi illius: ergo ſumma bonitas repræſentatur ei, in quo eſt eius repræſentatio magis amabilis, quàm vlla alia.

Antecedens pr. Per ſummam bonitatem intelligitur illa, quæ eſt ſumma perfectio; atqui ſumma perfectio eſt magis amabilis, quàm vlla alia: ergo & ſumma bonitas.

Minor pr. Summa perfectio eſt magis perfecta, ſeu potiùs amabilis perfectio, quàm vlla alia: ergo eſt etiam magis amabilis.

Antecedens pr. Summa perfectio, ſeu Deus, eſt quæuis alia perfectio formaliter, vel eminenter, & præterea infinitæ aliæ maiores: ergo eſt magis perfecta, & perfectio, quàm quæuis alia.

TERTIA

TERTIA CONCLVSIO:

Non appetimus necessariò quoad exercitium beatitudinem in communi.

PER appetitionem necessariam quoad exercitium beatitudinis in communi potest intelligi,& intelligunt nonnulli continuam,& nunquam interruptam appetitionem illius ; atqui non est in nobis continua,& non interrupta appetitio beatitudinis : ergo non appetimus necessariò quoad exercitium beatitudinem in communi.

Minor pr. Vt sit in nobis continua, & non interrupta appetitio beatitudinis debet esse etiam continua, & non interrupta repræsentatio illius ; atqui non est in nobis continua, & non interrupta ræpræsentatio illius : ergo neque appetitio.

Minor pr. Beatitudo est bonitas summè amabilis & magis, quàm vlla alia ; atqui non est in nobis repræsentatio continua, & non interrupta bonitatis summè amabilis, seu magis,quàm vlla alia : ergo neque beatitudinis.

Minor pr. Sæpè ne quidem venit nobis in mentem, aut saltem dubitamus teste experientia an ex iis, quæ obseruantur animo vnum sit magis amabile,quàm alia,quæ habemus simul in mente, & vix vnquam apparet nobis certò aliquid summè amabile: ergo non est in nobis continua, & non interrupta repræsentatio bonitatis summè amabilis, seu magis, quàm vlla alia.

Prima, & secunda pars antecedentis claræ sunt, & tertia probatur.

Bonitas, quæ nobis repræſentatur eſt iucunda, vel honeſta; atqui neutra vix vnquam repræſentatur ſummè amabilis: ergo vix vnquam apparet nobis quidquam ſummè amabile.

Minor pr. Bonitas, in cuius acquiſitione repræſentatur aliqua ratio mali non apparet ſummè amabilis; atqui in acquiſitione bonitatis tum iucundæ, tum honeſtæ ferè ſemper apparet nobis ratio mali: ergo neutra apparet nobis ſummè amabilis.

Minor pr. Ferè ſemper iucunda apparet nobis cum oppoſitione cum honeſta, & honeſta cum incompoſſibilitate cum delectabili, aut aliqua alia difficultas occurrit in obtentione vtriuſque; atqui illa oppoſitio, & difficultas eſt ratio mali: ergo ferè ſemper in acquiſitione bonitatis tum iucundæ, tum honeſtæ apparet nobis ratio mali.

Qvarta Conclvsio:

In homine eſt appetitus naturalis innatus beatitudinis naturalis in particulari.

Appetitvs naturalis innatus beatitudinis naturalis eſt potentia actiua, & paſſiua illius; atqui in homine eſt potentia actiua, & paſſiua beatitudinis naturalis: ergo appetitus naturalis innatus beatitudinis naturalis in particulari eſt in homine.

Minor pr. Potentia actiua, & paſſiua beatitudinis naturalis eſt vis productiua, & receptiua ipſius; atqui in homine eſt vis productiua, & receptiua beatitudinis naturalis; ergo in homine eſt

potentia actiua, & passiua beatitudinis naturalis.

Minor pr. Beatitudo naturalis est cognitio Dei, & eiusdem amor naturalis; atqui in homine est vis productiua cognitionis naturalis Dei, & amoris eiusdem: ergo in homine est vis productiua, & receptiua beatitudinis naturalis.

QVINTA CONCLVSIO:

In homine est appetitus naturalis elicitus beatitudinis naturalis necessarius quoad specificationem.

ILLIVS est in homine appetitus naturalis elicitus quoad specificationem necessarius, quod odisse non potest; atqui homo odisse non potest beatitudinem naturalem: ergo in homine est appetitus naturalis elicitus beatitudinis naturalis necessarius quoad specificationem.

Minor pr. Illud homo odisse non potest, in quo nulla apparet ratio mali; atqui in beatitudine naturali nulla apparet ratio mali: ergo homo non potest eam odisse.

Minor pr. Beatitudo naturalis est bonitas maior, quàm sit vlla alia naturalis; atqui in illa nulla apparet ratio mali: ergo in bonitate naturali nulla apparet ratio mali.

Obiicitur. Beatitudo naturalis est cognitio Dei, & eiusdem amor naturalis; sed in homine non est appetitus naturalis elicitus necessarius quoad specificationem cognitionis Dei, & amoris eius-

dem : ergo non est in homine appetitus naturalis elicitus beatitudinis naturalis necessarius quoad specificationem.

Minor pr. Illius non est in homine appetitus naturalis elicitus necessarius quoad specificationem quod odisse potest, atqui homo odisse potest cognitionem Dei, & eiusdem amorem: ergo non est in homine appetitus naturalis elicitus beatitudinis naturalis necessarius quoad specificationem.

Minor pr. Homo de facto sæpe odit cognitionem Dei, & eiusdem amorem: ergo homo odisse potest cognitionem Dei, & eiusdem amorem.

Antecedens pr. Cognitio Dei, quæ est beatitudo est scientia de Deo; atqui ignari odio habent illam scientiam, & improbi amorem: ergo odio habent cognitionem Dei, & eiusdem amorem.

Solutio: Atqui *ignari odio habent scientiam, & improbi amorem secundum se considerata*, Nego. *prout conuestita difficultate, & labore necessario ad ipsa comparanda*, Concedo. ergo *ignari odio habent cognitionem Dei, & improbi eiusdem amorem secundum se considerata*, Nego. *prout repræsentata cum difficultate, & labore necessario ad ipsa conparanda*, Concedo. *Ratio est, quia in illa cognitione, & amore secundum se non apparet ratio mali, quamuis labor insumendus in ipsorum comparatione non careat malitia sufficienti ad terminandum odium ignarorum & improborum.*

SEXTA CONCLVSIO:

Appetitus beatitudinis qui est intentio non est necessarius, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem.

APPETITVS beatitudinis qui dicitur intentio est actus voluntatis tendens in beatitudinem, vt comparabilem per hæc, aut illa media; atqui ille actus non est necessarius, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem: ergo neque appetitus beatitudinis, qui est intentio illius.

Minor pr. Ille actus non est necessarius, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem, qui cùm adsunt omnia necessaria vt ponatur potest non poni, aut poni ei contrarius; atqui actus voluntatis tendens in beatitudinem vt comparabilem per hæc, aut illa media potest non poni, aut poni ei contrarius: ergo non est necessarius nec quoad exercitium, nec quoad specificationem.

Minor pr. Media per quæ proponi potest comparabilis beatitudo possunt repræsentari difficilia, & sæpè de facto talia repræsentantur; atqui actus tendens in beatitudinem vt comparabilem per media difficilia potest non poni, aut poni ei contrarius: ergo & qui tendit in beatitudinem vt comparabilem per hæc, aut illa media.

Maior probatur primò.

Media per quæ proponi potest comparabilis beatitudo possunt esse oratio, eleemosinæ, & maceratio corporis; atqui illa sunt, & repræsentant-

tur difficilia: ergo & media per quæ proponi potest comparabilis beatitudo.

Minor præcedentis argumenti probatur secundò.

Ille actus voluntatis potest ab ipsa non poni, aut poni ei contrarius, qui fit consequenter ad cognitionem repræsentantem ei aliquam rationem mali; atqui actus tendens in beatitudinem, vt comparabilem per media difficilia, fit consequenter ad cognitionem repræsentantem ei rationem mali: ergo potest non poni, aut poni ei contrarius.

Minor pr. Cognitio consequenter ad quam fit actus tendens in beatitudinem, vt comparabilem per media difficilia, repræsentat illam difficultatem mediorum; atqui difficultas illorum mediorum est ratio mali: ergo fit consequenter ad cognitionem repræsentantem rationem mali.

Minor pr. Quod nobis parit molestiam est ratio mali; atqui difficultas illorum mediorum superanda parit nobis molestiam: ergo est ratio mali.

Obiices. Ille actus est necessarius quoad specificationem, cuius contrarius non potest poni; atqui actus contrarius intentioni beatitudinis non potest poni: ergo appetitus qui est intentio beatitudinis est necessarius quoad specificationem.

Minor pr. Actus contrarius intentioni beatitudinis est odium ipsius; atqui odium beatitudinis non potest poni: ergo neque actus contrarius intentioni beatitudinis.

Solutio: *Actus contrarius intentioni beatitudinis est odium ipsius beatitudinis secundùm se sum-*

pta, Nego. *sumpta vt comparabilis per media difficilia*, Concedo. atqui *odium beatitudinis secundùm se sumpta non potest poni*, Concedo. *sumpta vt comparabilis per media difficilia*, Nego.

Contrà. Beatitudo quocunque modo sumatur non potest odio haberi: ergo odium beatitudinis, vt comparabilis per media difficilia non potest poni.

Antecedens pr. Beatitudo est summum bonum; atqui summum bonum non potest odio haberi: ergo neque beatitudo.

Solutio: Atqui *summum bonum absolutè sumptum, & non iunctum cum aliquo quod sit malum, non potest odio haberi*, Concedo. *iunctum cum aliquo quod sit malum*, Nego. *& eadem distinctio applicanda est consequenti.*

Contrà. Repugnat summo bono coniungi cum aliquo quod sit malum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Repugnat summo bono non esse summum bonum: ergo & coniungi cum aliquo quod sit malum.

Consequentia pr. Summum bonum coniunctum cum aliquo quod sit malum est malum; atqui non potest esse malum: ergo neque coniungi cum aliquo quod sit malum.

Solutio: *Summum bonum coniunctum realiter cum aliquo quod sit malum est malum*, Concedo. *coniunctum tantùm per cognitionem, & repræsentationem*, Nego. *Illa enim repræsentatio nullam potest refundere malitiam in Deum, cùm sit illi planè extrinseca, & concessa minori: ergo coniungi non potest per repræsentationem cum aliquo quod sit malum*, Nego. *realiter*, Concedo. *Con-*

iunctio enim illa vel esset libera, vel necessaria: si primum, esset inordinata; neque enim decet coniungi summum bonum cum eo, quod est ei oppositum, & quod est ipsius destructio, & facit illud non esse summum: & si secundum, summum bonum haberi non possit sine illo malo, cui coniungeretur; atque ita non expleret, neque satiaret appetitum qui appeteret absentiam illius mali, & à se elongationem.

Contrà. Cognitio repræsentans summum bonum coniunctum cum illo malo est vera: ergo coniunctio summi boni cum illo malo debet etiã esse realiter.

Solutio: *Cognitio repræsentans summum bonum secundùm se coniunctum cum illo malo est vera*, Nego. *repræsentans summum bonum vt comparabile per hac, aut illa media*, Concedo. *Verùm cùm media, & eorum difficultas sit quid extrinsecum summo bono, non possunt impedire quin secundum se, sub qua tantum ratione dicitur summum, sit etiam verè tale, quantumuis sub alia idem non habeat, & illi non conueniat.*

SEPTIMA CONCLVSIO:

In homine non datur appetitus innatus simpliciter naturalis beatitudinis supernaturalis.

APPETITVS naturalis innatus beatitudinis supernaturalis est vis productiua, & receptiua illius; atqui in homine non datur vis simpliciter

productiua, & receptiua beatitudinis supernaturalis: ergo in homine non est appetitus innatus simpliciter naturalis beatitudinis supernaturalis.

Minor pr. Beatitudo supernaturalis est visio clara, & intuitiua Dei; atqui in homine non est simpliciter vis productiua, & receptiua illius visionis: ergo in homine non est simpliciter vis productiua, & receptiua beatitudinis supernaturalis.

Minor pr. In homine non est vis simpliciter productiua, & receptiua eius, quod est supernaturale; atqui visio clara Dei, & intuitiua est supernaturalis: ergo in homine non est simpliciter vis productiua, & receptiua illius visionis.

Minor pr. In homine non est vis simpliciter productiua, & receptiua eius rei, quam non potest cum solo generali Dei concursu producere, & recipere; atqui homo non potest cum solo generali Dei concursu producere, neque recipere rem supernaturalem: ergo in homine non est vis simpliciter productiua, & receptiua eius, quod est supernaturale.

Minor pr. Agens naturale producere non potest rem supernaturalem cum solo generali Dei doncursu; atqui homo est agens naturale: ergo producere non potest cum solo generali Dei concursu rem supernaturalem.

Minor pr. Illud quod agens naturale producit cum solo generali Dei concursu producitur solis naturæ viribus; atqui res supernaturalis produci non potest solis naturæ viribus: ergo agens naturale producere non potest rem supernaturalem.

E v

Minor pr. Quod eſt ſupra vires naturæ produci non poteſt ſolis naturæ viribus; atqui res ſupernaturalis eſt ſupra vires naturæ: ergo produci non poteſt ſolis naturæ viribus.

Obiicitur. In homine datur appetitus innatus ſimpliciter naturalis ad ſuam omnem perfectionem; atqui beatitudo ſupernaturalis eſt eius perfectio: ergo datur in homine appetitus innatus ſimpliciter naturalis beatitudinis ſupernaturalis.

Maior pr. In homine datur appetitus ſimpliciter naturalis ad id, ad quod inclinatur; atqui inclinatur ad omnem ſuam perfectionem: ergo in homine datur etiam appetitus innatus ſimpliciter naturalis ad illam.

Solutio: *In homine datur appetitus ſimpliciter naturalis ad id omne, ad quod inclinatur inclinatione mere naturali,* Concedo: *quæ non eſt mere naturalis, ſed ex parte obedientialis,* Nego. atqui *inclinatur ad omnem ſuam perfectionem inclinatione mere naturali,* Nego: *inclinatione merè naturali, vel obedientiali,* Concedo. *Ratio eſt, quia inclinatur in perfectiones naturales inclinatione mere naturali, in ſupernaturales verò inclinatione obedientiali. Inclinatio enim illa nihil aliud eſt, quàm vis productiua, aut receptiua illarum perfectionum.*

Contrà. Homo inclinatur in perfectiones ſupernaturales inclinatione merè naturali: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Homo inclinatur inclinatione merè naturali in illud, reſpectu cuius habet potentiam tum actiuam, tum paſſiuam; atqui reſpectu perfectionum ſuarum ſupernaturalium ha-

bet potentiam tum actiuam, tum passiuam: ergo inclinatur inclinatione merè naturali in perfectiones supernaturales.

Solutio: *Homo inclinatur inclinatione merè naturali ad id, respectu cuius habet potentiam tum actiuam, tum paßiuam merè naturalem,* Concedo. *obedientialem tantùm*, Nego. atqui *respectu suarum perfectionum supernaturalium habet potentiam tum actiuam, tum paßiuam obedientialem,* Concedo. *merè naturalem*, Nego. *& ratio est, quia potentia actiua, & paßiua perfectionum merè supernaturalium est vis receptiua, & productiua illarum solis naturæ viribus. Obedientialis verò est vis productiua, & receptiua earundem per auxilium Dei extraordinarium. Prima, vt patet ex terminis, est impoßibilis, & consequenter in homine admitti non debet, sicut nec in vllo alio ente. Secunda verò viget in ipso, quotiescumque elicit actus supernaturales fidei, spei*, &c.

OCTAVA CONCLVSIO:

Dari potest in homine appetitus naturalis elicitus beatitudinis supernaturalis.

APPETITVS naturalis elicitus beatitudinis supernaturalis est desiderium naturale illius; atqui dari potest in homine desiderium naturale beatitudinis supernaturalis: ergo dari potest in homine appetitus naturalis elicitus beatitudinis supernaturalis.

Minor pr. Cùm Christianus declarat ethnico excellentiam beatitudinis supernaturalis, potest

iste habere desiderium naturale illius; atqui sæpè declarant Christiani ethnicis excellentiam beatitudinis supernaturalis : ergo homo habere potest desiderium naturale beatitudinis supernaturalis.

Maior pr. Ethnicus habere potest desiderium naturale illius, quod ei repræsentatur esse bonum; atqui cùm Christianus declarat ethnico excellentiam beatitudinis supernaturalis, hæc ei repræsentatur bona : ergo cùm Christianus declarat ethnico excellentiam beatitudnis supernaturalis, iste potest habere desiderium naturale illius.

Minor pr. Ad hoc, vt voluntas appetat aliquid, nihil aliud requiritur, quàm vt ei repræsentetur esse bonum: ergo ethnicus habere potest desiderium naturale illius, quod repræsentatur ei esse bonum.

Obiicitur. In homine non datur appetitus elicitus eius, cuius non datur innatus; atqui non datur in homine appetitus innatus simpliciter naturalis beatitudinis supernaturalis : ergo neque elicitus.

Maior pr. Ex duobus, quorum vnum supponit aliud, cùm non datur hoc, non datur etiam illud; atqui appetitus elicitus alicuius rei supponit innatum: ergo in homine non datur appetitus elicitus eius, cuius non datur innatus.

Solutio : Atqui *appetitus elicitus alicuius rei supponit innatum sui ipsius*, Concedo. *eius rei, ad quam terminatur*, Nego. ergo *in homine non datur appetitus elicitus, qui non supponat innatum sui ipsius*, Concedo. *eius rei, ad quam terminatur*,

& tendit, Nego. *Obscurum enim non est multa appetere, & affici erga quamplurima, quæ non possumus facere, vt cùm ægrotus appetit sanitatem, quam per seipsum acquirere nunquam posset.*

Contrà. In homine non est appetitus innatus appetitus eliciti beatitudinis supernaturalis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Appetitus innatus naturalis est potentia productiua naturalis; atqui in homine non est potentia productiua naturalis, & receptiua appetitus eliciti beatitudinis supernaturalis: ergo in homine non est appetitus innatus appetitus eliciti beatitudinis supernaturalis.

Minor probatur. In homine non est potentia productiua, & receptiua naturalis rei supernaturalis; atqui appetitus elicitus beatitudinis supernaturalis, est ipse supernaturalis: ergo in homine non est potentia naturalis productiua, & receptiua appetitus eliciti beatitudinis supernaturalis.

Minor pr. Actus voluntatis, cuius obiectum est supernaturale est ipse supernaturalis; atqui beatitudo supernaturalis est obiectum istius appetitus: ergo ipse est etiam supernaturalis.

Solutio: *Actus voluntatis, cuius obiectum est supernaturale, est ipse supernaturalis, omnis*, Nego. *aliquis*, Concedo. *Ille scilicet, qui fieri non potest solis naturæ viribus, non autem illi, quos agentia naturalia cum solo generali Dei concursu facere possunt.* atqui *beatitudo supernaturalis est obiectum istius appetitus, & ipse fieri non potest solis naturæ viribus*; Nego. *& fieri potest*, Concedo.



DISPVTATIO II.

De actibus humanis, & affectionibus eorum.



ACtvs humanus hic non habet tantam latitudinem, ac actus factus ab homine. Cùm enim in nobis sint actus proprij viuentis non tantùm rationalis, sed etiam sensitiui, & vegetatiui; illi soli censentur humani, qui sunt ab homine vt homo est, & rationalis. Alij enim imbui non possunt honestate, quam intendit moralis.

Sectio Prima.

De actibus voluntatis in communi.

DIximvs in tractatu præcedenti de anima disputatione quarta sectione quarta de voluntate, obiectum voluntatis esse bonum, & item malum ei oppositum. Actus quos exercet circa primum dicuntur ideo prosecutiui, quòd sint quidam quasi motus, & accessus ad suum obiectum; alij verò auersatiui, quòd per illos voluntas quasi recedat ab obiecto. Tam hi quàm illi varij sunt, & multiplices. Primus inter prosecutiuos est ille

quo voluntas fertur in bonum secundùm se, & præcisè cognitione per quam repræsentatur nihil explicante de eius præsentia, vel absentia, & dicitur amor. Per secundum voluntas afficitur circa bonum repræsentatum vt absens, & vocatur desiderium: & per tertium tendit in illud vt præsens, & appellatur gaudium. Cùm autem bonum absens repræsentatur vt comparabile per hæc, vel illa media, affectus quem elicit circa illud voluntas dicitur intentio: & cùm proponitur ei obtinendum per hoc, aut per illud medium determinatè ipsius affectus circa illud, vocatur electio: ac tandem cùm ei repræsentatur obtentum afficitur erga illud actu, qui dicitur fruitio. Simili modo cum proportione se habet actus voluntatis circa malum: primus tendit in illud præcisè, & secundùm se, & vocatur fuga: secundus tendit in idem vt impendens, & imminens, & appellatur timor: & tertius denique fertur in illud vt præsens, & dicitur tristitia.

Cæterùm cùm cognitio proponit voluntati bonum, nihil explicando de illius præsentia, vel absentia, vel repræsentat illud sine admixtione mali, vel cum coniunctione cum aliquo disconuenienti: si primum, voluntas non potest cohibere affectum suum: si verò secundum, est in eius potestate affici circa conuenientiam repræsentatã, vel odisse disconuenientiam annexam. Quo fit vt cùm nullum nobis obiectum ferè repræsentetur, in quo secundùm se, & non tantùm vt comparabile per hæc, aut illa media non appareat conuenientia simul cum disconuenientia, non tantùm intentio circa illud non sit necessaria, vt probaui-

mus priori sectione de intentione beatitudinis; sed nec etiam primus ipse amor, cùm tamen iste respectu beatitudinis non sit liber, propterea quòd in ea secundùm se nulla appareat ratio mali.

PRIMA CONCLVSIO:

Actus voluntatis diuiduntur adæquatè in elicitos, imperatos, & mixtos.

MEMBRA istius diuisionis exhauriunt diuisum: ergo est adæquata.

Antecedens pr. Actus elicitus, imperatus, & mixtus exhauriunt actus voluntatis: ergo & diuisum.

¶ *Antecedens pr.* Actus voluntatis, vel fiunt immediatè à voluntate, vel tantùm mediatè, & quidem ex imperio, vel sine imperio; atqui illi qui sunt tantùm mediatè ex imperio sunt imperati, & qui fiunt immediatè ex imperio sunt imperati, & qui fiunt immediatè, sed cum imperio sunt mixti: ergo actus imperatus, elicitus, & mixtus exhauriunt actus voluntatis.

SECVNDA CONCLVSIO:

Diuisio actuum voluntatis in necessarios & liberos non est essentialis.

ILLA diuisio non essentialis, in qua membra diuidentia non sunt essentialiter talia; atqui voluntatis actus non sunt essentialiter necessarij,

aut liberi : ergo ista diuisio actuum voluntatis non est essentialis.

Maior pr. Actus voluntatis sunt tantùm contingenter necessarij & liberi : ergo non sunt essentialiter necessarij & liberi.

Antecedens pr. Illud sunt tantùm contingenter actus voluntatis, quod possunt non esse ; atqui actus voluntatis qui sunt necessarij possunt non esse necessarij,& qui sunt liberi possunt non esse liberi:ergo sunt tantùm contingenter necessarij, & liberi.

Minor pr. Illi actus voluntatis possunt non esse necessarij, qui possunt esse liberi, & illi non esse liberi, qui possunt esse necessarij ; atqui actus voluntatis,qui sunt necessarij possunt esse liberi, & contrà:ergo actus voluntatis,qui sunt necessarij possunt non esse necessarij, & qui sunt liberi possunt non esse liberi.

Minor pr. Ille actus liber fit necessarius, qui iam non potest non poni à sua causa cùm antea posset, & contrà ; atqui actus, qui antea poterat non poni à sua causa, iam non potest non poni: ergo actus liber fit necessarius.

Minor pr. Ille actus non potest non poni à sua causa, cùm antea posset,qui nunc fit fine concursu indifferenti Dei, cùm antea fieret;atqui actus potest fieri nunc sine concursu indifferenti, cùm antea fieret : ergo & non potest non poni à sua causa, cùm antea posset.

Minor pr. Deus liberè dat illum concursum indifferentem : ergo potest illum non dare iam, licet antea daret.

SECTIO II.

Quid sit actus humanus, & moralis.

PRIMA CONCLVSIO:

Actus humani definitio. Is, qui fit ab homine liberè operante conuenit soli actui humano.

ALIA quibus dici posset conuenire hæc definitio sunt actus brutorum, actus Angelorum, aut actus ipsius hominis necessarij; atqui non conuenit neque actibus brutorum, neque actibus Angelorum, neque actibus hominis ipsius necessariis: ergo non conuenit aliis ab actu humano.

Minor pr. Non conuenit illis quæ non fiunt liberè, aut non fiunt ab homine; atqui actus brutorum, & actus necessarij hominis non fiunt liberè, illi verò Angelorum non fiunt ab homine: ergo non conuenit neque actibus brutorum, neque actibus Angelorum, neque actibus ipsius hominis necessariis.



SECVNDA CONCLVSIO:

Non sufficit vt actus sit moralis, quòd sit liber.

ACTVS moralis est necessariò bonus, vel malus; atqui non sufficit vt sit bonus, vel malus quòd sit liber: ergo ad hoc vt actus sit moralis non sufficit vt sit liber.

Minor pr. Actus indifferentes sunt liberi; atqui neque sunt boni, neque mali: ergo vt actus bonus sit aut malus, non sufficit vt sit liber.

Minor pr. Actus qui non sunt neque laude digni, neque vituperio non sunt boni, neque mali; atqui actus indifferentes non sunt neque laude digni, neque vituperio: ergo actus indifferentes neque sunt boni, neque mali.

Obiicitur. Ad hoc vt actus sit moralis non plus requiritur, quàm vt sit bonus, vel malus; atqui vt sit bonus, vel malus non aliud requiritur quàm vt sit liber: ergo sufficit vt actus sit moralis, vt sit liber.

Minor pr. Non aliud potest requiri præter libertatem vt actus sit bonus, vel malus, quàm cognitio bonitatis, aut malitiæ; atqui non requiritur cognitio bonitatis aut malitiæ: ergo non aliud requiritur, vt actus sit moralis, quàm vt sit liber.

Minor pr. Alia requiri non potest cognitio bonitatis, aut malitiæ, quàm ipsius actus, aut obiecti actus; atqui non requiritur cognitio, neque malitiæ, & bonitatis actus, neque ipsius obiecti:

ergo non requiritur cognitio bonitatis, aut malitiæ.

Prima pars minoris est clara, & secunda de bonitate, vel malitia obiecti probatur.

Illud non requiritur vt actus sit bonus, aut malus, de quo cùm benè, aut malè agimus non cogitamus; atqui cùm benè, aut malè agimus, non cogitamus de bonitate, aut malitia obiecti propter quas dicitur bonum, aut malum: ergo non requiritur cognitio bonitatis, aut malitiæ obiecti.

Minor pr. Cùm quis afficitur v. g. erga voluptatem malè agit, & voluptas est eius obiectum; atqui non cogitat de eius malitia: ergo cùm malè agimus non cogitamus de malitia obiecti.

Minor pr. Qui afficitur erga voluptatem non cogitat de eo, quod non amat; atqui qui afficitur erga voluptatem non amat vllam in ea malitiam, imò vellet nullam planè esse in ipsa: ergo non cogitat de malitia voluptatis.

Solutio: *Qui afficitur erga voluptatem non cogitat de eo, quod non amat, neque formaliter, neque interpretatiuè*, Concedo. *quod non amat formaliter, & vt motiuum*, Nego. atqui *qui afficitur erga voluptatem nullam amat in ea malitiam formaliter, vt motiuum proprium sui amoris*, Concedo. *interpretatiuè, & imputatiuè*, Nego. *Cùm enim aduertat malitiam esse annexam delectabilitati voluptatis, non potest affici circa illam delectabilitatem, quin hoc ipso censeatur affici etiam circa eius inhonestatem, & malitiam, & consequenter malè, & peruersè agere.*

Contrà. Ille non amat, & afficitur interpreta-

tiuè erga malitiam, & inhonestatem voluptatis qui vellet nullam esse in ea huiusmodi malitiam; atqui multi cùm amant, & afficiuntur erga voluptatem, vellent quàm possunt maximè nullam esse in ea malitiam, & inhonestatem: ergo qui amat, & afficitur erga voluptatem nullam amat in ea malitiam etiam interpretatiuè.

Solutio: *Ille non amat, & afficitur interpretatiuè erga malitiam, & inhonestatem voluptatis, qui vellet efficaciter nullam esse huiusmodi malitiam in ea, & in suo amore erga illam*, transeat. *in ea tantum*, Nego. atqui *multi cum amant, & afficiuntur erga voluptatem vellent, quàm possunt maximè nullam esse malitiam, & inhonestatem in ea precisè*, transeat. *in ipsa, & in suo amore erga illam*, Nego. *Si enim horrerent efficaciter illam inhonestatem, abstinerent ab amore circa illam, tunc cum non ignorant se non posse illum ponere, quin arguantur veri affectus interpretatiui erga illam, dum ita se gerunt, vt in æstimatione prudentum non possint censeri non affici erga illam, non abstinendo ab eo, cum quo est coniuncta, & quod coniungere non possunt sibi, quin etiam illam pariter sibi iungant.*



SECTIO III.

Quid sit voluntarium.

PRIMA CONCLVSIO:

Voluntarij definitio. Quod est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio, conuenit soli voluntario.

NVLLI alteri conuenit quàm voluntario: ergo conuenit soli voluntario.

Antecedens pr. Alia quibus dici potest conuenire sunt violentum, non voluntarium, aut inuoluntarium; atqui illis non conuenit: ergo nulli alteri conuenit, quàm voluntario.

Minor pr. Non conuenit illis, quæ non fiunt à principio intrinseco ex præuia cognitione, aut fiunt contra aliquam inclinationem; atqui violentum non fit à principio intrinseco, non voluntarium non fit ex præuia cognitione, & inuoluntarium fit contra aliquem appetitum, & inclinationem: ergo non conuenit violento, voluntario, aut inuoluntario.



SECVNDA CONCLVSIO:

Vt aliquid sit voluntarium non debet esse volitum.

Vt aliquid sit volitum, debet esse obiectum voluntatis; atqui vt aliquid sit voluntarium non debet esse obiectum voluntatis: ergo vt aliquid sit voluntarium non debet esse volitum.

Minor pr. Omnes actus voluntatis sunt voluntarij; atqui omnes non sunt obiectum voluntatis: ergo vt aliquid sit voluntarium non debet esse obiectum voluntatis.

Minor pr. Primus actus voluntatis non potest esse obiectum voluntatis: ergo omnes actus voluntatis non sunt illius obiectum.

Antecedens pr. Vt primus actus voluntatis sit obiectum actus voluntatis debet esse sui ipsius obiectum, aut alterius actus seipsum præcedentis; atqui non est obiectum sui ipsius, neque alterius actus seipsum præcedentis: ergo non est obiectum vllius.

Prima pars minoris probatur.

Ille actus non est obiectum sui ipsius, qui non reflectit se supra se; sed actus primus voluntatis non reflectit se supra se: ergo non est obiectum sui ipsius.

Minor pr. Actus voluntatis feruntur tantum in id, quod ipsis repræsentat intellectus; atqui intellectus non repræsentat voluntati cum primò est operatura primum actum ipsius, sed tantum obiectum, in quod debet ferri: ergo primus actus

voluntatis non reflectit se supra se.

Minor pr. Intellectus repræsentat voluntati cùm primò est operatura quod ei proponitur per sensus externos; atqui sensus externi nihil proponunt de eius primo actu, sed tantùm de obiecto appetitus: ergo intellectus non repræsentat voluntati cum primò est operatura primum actum ipsius, sed tantùm obiectum, in quod debet ferri.

Secunda pars minoris probatur.

Illud non est obiectum alterius actus ipsum præcedentis, quod non habet alium se præcedentem; sed primus actus voluntatis non habet alium se præcedentem: ergo non est obiectum alterius actus ipsum præcedentis.

Minor pr. Quod est primum non habet aliud se præcedens; atqui actus primus voluntatis est primus: ergo non habet alium se præcedentem.

SECTIO IV.

Quibus, & quomodo conueniat ratio voluntarii.

PRIMA CONCLVSIO:

Actus voluntatis eliciti sunt immediatè voluntarij.

ILLVD est immediatè voluntarium, quod fit à principio intrinseco agente immediate ex cognitione; atqui actus voluntatis eliciti fiunt immediate

mediatè ex cognitione præuia à principio intrinseco: ergo actus eliciti voluntatis sunt immediatè voluntarij.

Minor pr. Actus eliciti voluntatis fiunt à voluntate; atqui voluntas est principium illorum intrinsecum agens immediate ex cognitione: ergo actus eliciti voluntatis fiunt immediatè à principio intrinseco ex præuia cognitione.

SECVNDA CONCLVSIO:

Actus merè imperati non sunt immediatè voluntarij.

ILLI actus non sunt immediatè voluntarij, qui non fiunt immediatè ex præuia cognitione; atqui actus merè imperati non fiunt immediatè ex pręuia cognitione: ergo non sunt immediatè voluntarij.

Minor pr. Illud non fit immediatè ex præuia cognitione, quod fit à principio non requirente vt agat, præuiam cognitionem; atqui actus mere imperati fiunt à principio non requirente vt agat, præuiam cognitionem: ergo actus mere imperati non fiunt immediate ex præuia cognitione.

Minor pr. Quod non fit neque à voluntate, neque ab appetitu non fit à principio requirente vt agat præuiam cognitionem; atqui actus mere imperati non fiunt ab appetitu, aut voluntate: ergo non fiunt à principio requirente præuiam cognitionem vt agat.

Maior pr. Sola voluntas, aut appetitus requirunt vt agant præuiam cognitionem: ergo quod

non fit neque à voluntate, neque ab appetitu non fit à principio requirente præuiam cognitionem vt agat.

TERTIA CONCLVSIO:

Vt omissio sit voluntaria non requiritur præceptum de opere omisso.

ILLVD non requiritur, vt omissio sit voluntaria, sine quo potest esse voluntaria; atqui omissio potest esse voluntaria, etiam si non sit præceptum de opere omisso: ergo vt omissio sit voluntaria non requiritur præceptum de opere omisso.

Minor pr. Sine eo omissio potest esse voluntaria, sine quo potest esse libera; atqui etiamsi non sit præceptum de opere omisso potest esse libera: ergo potest esse voluntaria etiamsi non sit præceptum de opere omisso.

Minor pr. Vt omissio sit libera agenti sufficit, vt eam possit ponere, aut non ponere; atqui etiamsi non sit præceptum de opere, quod omittit, potest eam ponere, aut non ponere: ergo potest esse libera, etiamsi non sit præceptum de opere omisso.

Minor pr. Præceptum nullam addit agenti vim ponendi illam, aut non ponendi: ergo agens etiamsi non sit præceptum potest eam ponere, aut non ponere.

QVARTA CONCLVSIO:

Effectus secutus ex omissione actus interni, aut externi, est indirectè voluntarius ei, qui eum præuisum non impedit cùm potest.

EFFECTVS secutus ex omissione est indirectè voluntarius ei cui omissio est directè voluntaria; atqui omissio, ex qua sequitur effectus præuisus est directè voluntaria ei, qui eum non impedit cùm potest: ergo effectus secutus ex omissione actus interni, aut externi est indirectè voluntarius ei, qui eum præuisum non impedit cùm potest.

Maior pr. Effectus huiusmodi est indirectè voluntarius ei, qui eum tenetur impedire: ergo etiam ei, qui eum non impedit cùm potest etiamsi non teneatur.

Antecedens probatur primò.

Effectus est voluntarius ei, respectu cuius dicitur culpabilis; atqui respectu eius, qui tenetur eum impedire est culpabilis: ergo est ei voluntarius.

Consequentia prioris argumenti probatur secundò.

Quòd teneatur, aut non teneatur nihil facit ad rationem voluntarij: ergo effectus etiam ei, qui eum non impedit cùm potest etiamsi non teneatur, est indirectè voluntarius.

Antecedens pr. Illud facit tantùm ad rationem

voluntarij, quod facit vt effectus sit liber; atqui quòd teneatur non requiritur vt effectus sit liber: ergo quòd teneatur nihil facit ad rationem voluntarij.

Obiicitur. Effectus non est voluntarius ei, qui non est eius causa; atqui qui eum non impedit cùm potest si non teneatur non est eius causa: ergo omnis effectus secutus ex omissione actus interni, aut externi non est indirectè voluntarius ei, qui eum non impedit cùm potest.

Minor probatur. Non potest esse causa eius nisi physica, vel moralis; sed non est causa eius physica, neque moralis: ergo non est eius causa.

Respondeo *esse causam physicam.*

Contrà. Illud non est causa physica alterius, quod non influit in illud per physicum influxum; atqui qui non impedit aliquem effectum cùm potest non influit in illum per physicum influxum: ergo non est causa eius physica.

Solutio: *Illud non est causa physica positiuè influens, quod non influit per physicum influxum*, Concedo. *non est causa physica remouens prohibens*, Nego. *& concessa minori*: ergo *non est causa eius physica positiuè influens*, Concedo. *remouens prohibens*, Nego.

Contrà. Deus non est causa physica remouens prohibens peccati; atqui illud non impedit cùm potest: ergo quod non impedit cùm potest aliquem effectum, non est causa physica eius etiam remouens prohibens.

Solutio: *Deus non est causa physica remouens prohibens peccati, & non habet auersionem illius*, Nego. *& habet*, Concedo. *& concessa minori*: ergo

quod non impedit cùm potest aliquem effectum non est causa physica eius etiam remouens prohibens, si habeat auersionem illius, Concedo. *si non habeat*, Nego. *Homo autem non habet huiusmodi auersionem. Si eam enim haberet impediret huiusmodi effectum.*

Contrà. Ex concessis Deus etiamsi habeat auersionem peccati non impedit illud cùm potest: ergo etiam homo potest habere auersionem peccati, licet illud non impediat cùm potest.

Solutio : *Deus etiamsi habeat auersionem peccati non impedit illud cùm potest, propterea quòd non teneatur illud impedire, sed potius sit quodammodo adstrictus illud permittere*, Concedo. *si teneretur illud impedire*, Nego. ergo *etiam homo potest habere auersionem peccati licèt illud non impediat cùm potest, & non tenetur illud impedire*, Nego. *& tenetur illud impedire*, Concedo.

Contrà. Summus amor bonitatis diuinæ, & summum odium peccati non modò tenentur, sed impossibile est ipsis non impedire peccatum cùm possunt illud impedire; atqui Deus habet, & summum amorem suæ bonitatis, & summum odium peccati : ergo tenetur impedire peccatum cùm potest.

Solutio : *Summus amor intensiuè, & extensiuè bonitatis diuinæ, & summum odium intensiue, & extensiue peccati tenentur, & impossibile est ipsis non impedire peccatum cum possunt*, Concedo. *summus huiusmodi amor, & summum huiusmodi odium tantum intensiuè*, Nego. atqui *Deus habet summum amorem suæ bonitatis intensiue, & extensiue, & summum odium peccati intensiue,*

& extensiuè, Nego. *intensiuè tantùm*, Concedo. *Per summum amorem intensiue Deus vult sibi omnia sua bona intrinseca, per eundem verò extensiue etiam alia bona extrinseca, quibus cùm caret, vt caruit per æternitatem à parte ante nihilo beatior est, & ex huiusmodi carentia non potest argui quòd non si vere amet, & summe, scilicet, intensiue, sicut nec quòd summe non oderit peccatum ex eo, quòd permittat illud committi à suis creaturis.*

Contrà. Maius est odium peccati in Deo illud non permittere neque in se, neque in suis creaturis, quàm illud tantùm non permittere in se; atqui Deus licèt non patiatur in se peccatum, illud permittit in suis creaturis: ergo non odit summe peccatum.

Solutio: *Maius est odium peccati in Deo intensiue illum non permittere non tantùm in se, sed neque in suis creaturis, quàm illud in istis permittere*, Nego. *extensiue*, Concedo. *& concessa minori:* ergo *non odit summe peccatum intensiue*, Nego. *extensiue*, Concedo. *Sed in hoc nulla est imperfectio, sed potiùs argumentum magnæ perfectionis, beneficentiæ scilicet illius maximæ, qua concedit creaturis intellectualibus, vt possint libere operari, & tot adhibet vt bene vtantur libertate ipsis concessa, vt deinde eas possit remunerare, & donare beatitudine.*

Ex eo quòd Deus permittat peccatum, & non velit sibi maiorem suam gloriam extrinsecam, colligunt aliqui posse non operari propter illam, confirmántque ex D. August. & ex eo probant quòd illa gloria non sit bonum infinitum, quod solum

Deum potest necessitare ad sui amorem, non autem bonum finitum. Volunt tamen Deum operatum esse omnia propter illam, cum id asserant sacræ paginæ cum dicunt, omnia propter semetipsum operatus est Dominus.

SECTIO V.

An dari possit pura omissio libera.

PROBAVIMVS tertia conclusione præcedentis sectionis, omissionem posse esse voluntariam, etiamsi non sit præceptum de opere omisso, quia potest esse libera: examinandum nobis est nunc num illa omissio sit pura? hoc est, sine vllo planè actu positiuo, an non pura? seu debeat esse semper per actum positiuum, & non possit esse sine illo.

VNICA CONCLVSIO.

Dari potest pura omissio libera.

VT detur pura omissio libera nihil aliud requiritur, quàm vt cum voluntas habet omnia requisita ad amandum v. g. aliquod obiectum, aut illud odio habendum, neque illud amet, neque odio habeat, neque vllum alium actum cum istis incompossibilem eliciat; atqui voluntas cùm habet omnia requisita ad amandum aliquod obiectum, aut odio habendum, potest illud neque

amare, neque odio habere, neque vllum alium actum cum illis incompossibilem elicere: ergo dari potest pura omissio libera.

Minor pr. Cùm voluntas habet omnia requisita ad amandum aliquod obiectum, aut odio habendum non necessitatur ad illud amandum, aut odio habendum, aut ponendum actum incompossibilem: ergo potest illud non amare, neque odio habere, neque actum incompossibilem ponere.

Duæ primæ partes antecedentis probantur.

Requisita vt voluntas possit amare aliquod obiectum, est vt repræsentetur ei bonum, & vt possit illud odio habere, vt repræsentetur ei malum; atqui cùm repræsentatur ei simul bonum, & malum, voluntas non necessitatur ad illud amandum, neque odio habendum: ergo neque cùm habet omnia requisita ad illud amandum, aut odio habendum.

Minor pr. Voluntas non necessitatur amare quod apparet ei malum, neque odisse quod apparet ei bonum; atqui cùm obiectum repræsentatur ei bonum simul, & malum, apparet ei bonum, & apparet etiam ei malum: ergo cùm obiectum repræsentatur simul bonum, & malum, voluntas non necessitatur ad illud amandum, aut odio habendum.

Tertia pars antecedentis superioris argumenti, voluntatem non necessitari ad ponendum actum incompossibilem cum amore & odio, probatur.

Actus incompossibilis cum amore & odio obiecti, quod apparet simul bonum, & malum, est nolitio formalis, vt virtualis illius amoris

aut odij; atqui voluntas non necessitatur ad ponendam nolitionem formalem, aut virtualem amoris, & odij: ergo cùm voluntas habet omnia requisita ad amandum aliquod obiectum, aut odio habendum non necessitatur ad ponendum actum incompossibilem cum amore, aut odio illius obiecti.

Prima pars minoris probatur.

Nolitio formalis amoris, & odij est actus voluntatis, cuius obiectum est carentia amoris, & odij; atqui voluntas non necessitatur ad ponendum actum, qui sit carentia amoris & odij: ergo neque ad ponendam nolitionem formalem amoris, & odij.

Minor pr. Voluntas non necessitatur ad ponendum actum, cuius obiectum sit carentia amoris, & odij, cùm ei intellectus non repræsentat huiusmodi carentiam; atqui cùm intellectus proponit voluntati bonitatem, & malitiam obiecti vt plurimùm non repræsentat ei carentiã amoris, & odij circa illud: ergo voluntas non necessitatur ad ponendum actum, qui sit carentia amoris, & odij.

Secunda pars minoris superioris argumenti, voluntatem non necessitari ad ponendam nolitionem virtualem alterius obiecti incompossibilis, probatur.

Nolitio virtualis amoris, & odij est nolitio alterius obiecti incompossibilis cum amore & odio; atqui voluntas non necessitatur ad ponendam nolitionem alterius obiecti incompossibilis cum amore, & odio: ergo neque ad ponendam nolitionem virtualem amoris, & odij.

Minor pr. Voluntas non necessitatur ad ponendam nolitionem alterius obiecti incompossibilis cum amore, & odio, cum nullum huiusmodi objectum ei repræsentatur ab intellectu; atqui intellectus sæpè nullum huiusmodi obiectum ei repræsentat: ergo voluntas non necessitatur ad ponendam nolitionem alterius obiecti incompossibilis cum amore, & odio.

Minor pr. Intellectus non repræsentat voluntati vllum huiusmodi aliud obiectum, cum ei vnum repræsentat tantum amandum; atqui sæpe ei vnum tantum repræsentat amandum: ergo sæpe nullum huiusmodi obiectum repræsentatur voluntati.

Minor pr. Non rarò contingit vt cogitemus de vno tantum obiecto: ergo sæpe intellectus repræsentat tantum voluntati vnum obiectum amandum.

Obiicitur. Pura omissio libera est cessatio omnis actus voluntatis tunc, cùm potest aliquem ponere; atqui voluntas non potest cessare ab omni actu, tunc cùm potest aliquem ponere: ergo dari non potest pura omissio libera.

Maior pr. Potentia rationalis cessare non potest ab omni actu tunc, cùm potest aliquem ponere; atqui voluntas est potentia rationalis: ergo cessare non potest ab omni actu tunc, cùm potest aliquem ponere.

Maior pr. Potentia nihil faciens sine ratione cessare non potest ab omni actu tunc, cùm potest aliquem ponere; atqui potentia rationalis nihil facit sine ratione: ergo potentia rationalis cessare non potest ab omni actu tunc, cùm potest ali-

quem ponere.

Maior pr. Potentia nihil faciens ſine ratione facit omnia cum ratione ; atqui potentia quæ facit omnia cum ratione ceſſare non poteſt ab omni actu tunc, cùm poteſt aliquem ponere : ergo potentia nihil faciens ſine ratione ceſſare non poteſt ab omni actu tunc, cum poteſt aliquem ponere.

Minor pr. Potentia appetitiua faciens omnia cum ratione, facit quæ facit propter rationem, ſeu motiuum ; atqui ceſſare non poteſt ab omni actu propter rationem, ſeu motiuum tunc, cùm poteſt aliquem ponere : ergo potentia, quæ facit omnia cum ratione, ceſſare non poteſt ab omni actu tunc, cùm poteſt aliquem ponere.

Minor pr. Quod ceſſat ab omni actu propter rationem, ſeu motiuum cùm poteſt aliquem ponere, habet aliquem actum, & nullum habet ; atqui non poteſt habere aliquem actum, & nullum habere : ergo ceſſare non poteſt ab omni actu tunc, cùm poteſt aliquem ponere.

Reſpondeo *nullum habere.*

Contrà. Qui cùm poteſt ponere aliquem actum illum non ponit, nec alium propter rationem, ſeu motiuum, retrahitur ab illa ratione, ſeu motiuo ab illo ponendo ; atqui retrahi non poteſt ab illo ponendo per eam rationem, & motiuum, quin habeat aliquem actum : ergo qui ceſſat ab omni actu propter rationem, ſeu motiuum cùm poteſt aliquem ponere, habet aliquem actum.

Minor pr. Tam non poteſt retrahi voluntas à ratione aliqua, ſeu motiuo ne ponat aliquem actum, ſine alio aliquo actu, quàm trahi ab ea-

dem, vt ponat actum sine actu; atqui trahi non potest à ratione, seu motiuo, quin ponat actum: ergo retrahi etiam non potest per rationem, seu motiuum à ponendo actu, quin habeat aliquem actum.

Solutio: *Tam non potest retrahi directe voluntas à ratione aliqua, seu motiuo ne ponat aliquem actum sine alio aliquo actu, quàm trahi ab eadem, vt ponat actum sine actu*, Concedo. *retrahi indirectè*, Nego. *& concessa minori*: ergo *non potest retrahi directè per rationem, seu motiuum à ponendo actu, quin habeat aliquem actum*, Concedo. *non potest retrahi indirectè*, Nego. *Voluntas retrahitur indirectè à motiuo, cum ex aspectu illius sine vllo erga ipsum affectu, neque etiam odio positiuo abstinet à prosecutione alicuius, cuius illud facit vt minor appareat bonitas, quod vt patet fieri potest sine actu. Bonitas enim illa per admixtionem, aut connexionem repræsentatam illius malitiæ, aut difficultatis fit impotens ad cogendam voluntatem ad sui amorem: malitia etiam ista propter adnexam bonitatem necessitare non valet voluntatem ad sui odium, & consequenter manet voluntas quasi in æquilibrio impedita à malitia ne amet; & à bonitate ne oderit, cum potestate tamen determinandi se ad quam partem libuerit.*

Contra. Duo motiua contraria repræsentata, dormitio v. g. & ludus, efficere possunt, vt minor appareat bonitas studij, cum quo sunt incompossibilia; atqui dici non potest, quòd voluntas retrahatur etiam indirectè à duobus motiuis contrariis ne amet studium: ergo voluntas non retrahitur indirectè ab amore obiecti per solam re-

præsentationem eius, quod efficit vt minor ipsi appareat illius bonitas.

Minor pr. Voluntas fertur in id, à quo retrahitur; atqui non potest ferri simul in duo motiua contraria studio: ergo neque retrahi ab illis.

Solutio: *Voluntas fertur in id, à quo retrahitur directè*, Concedo. *indirectè*, Nego. *Cùm enim ferri sonet conatum voluntatis, & tendentiam in motiuum; retrahi autem indirectè nihil aliud importet, quàm non tendentiam: clarum est ferri, & retrahi non esse idem. & concessa minori*: ergo *voluntas non potest retrahi directè ne amet studium à duobus motiuis contrariis*, Concedo. *retrahi indirectè*, Nego.

Contrà. Motiua contraria, à quibus voluntas retrahitur indirectè à ponendo studio, aut alio simili, sunt aut indifferentia, aut turpia, aut honesta; atqui voluntas non potest retrahi à ponendo studio, aut alio simili à motiuis indifferentibus turpibus, aut honestis sine actu aliquo: ergo neque retrahi indirectè à studio, aut alio simili à duobus motiuis contrariis.

Vt probetur minor, Supponunt illud à quo retrahitur voluntas indirectè esse malum. Motiuum autem retractionis esse honestum, *& sic argumentantur*:

Voluntas retrahi non potest à ponendo actu malo ex motiuo honesto sine actu: ergo voluntas retrahi non potest ex motiuo honesto à ponendo actu, sine actu alio.

Minor probatur. Retractio voluntatis à ponendo actu malo ex motiuo honesto, est bona moraliter, & honesta; atqui non potest esse bona mo-

raliter, & honesta sine actu positiuo, & quin sit actus positiuus: ergo retrahi non potest voluntas ex motiuo honesto à ponendo actu malo sine actu.

Solutio: *Retractio voluntatis indirecta à ponendo actu malo ex motiuo honesto est bona moraliter,* Nego. *directa,* Concedo. *& concessa minori*: ergo *voluntas non potest retrahi directè ex motiuo honesto à ponendo actu malo sine actu,* Concedo. *retrahi indirectè,* Nego.

Contrà. Illud est bonum moraliter quod est executio præcepti nobis impositi; atqui retractio quæcunque tandem à ponendo actu malo ex motiuo honesto est executio præcepti nobis impositi: ergo retractio voluntatis, etiam indirecta à ponendo actu malo ex motiuo honesto est bona moraliter.

Solutio: *Illud est moraliter bonum bonitate formali, quod est executio per actum positiuum præcepti nobis impositi,* Concedo. *sine actu positiuo,* Nego. atqui *retractio quæcunque tandem à ponendo actu malo ex motiuo honesto, est executio semper per actum positiuum præc. pti nobis impositi,* Nego. *sine actu positiuo aliquando,* Concedo.

Contrà. Quod est honestum, & laudabile est bonum moraliter bonitate formali; atqui executio præcepti nobis impositi quomodocunque se habeat est honesta, & laudabilis: ergo executio præcepti nobis impositi quomodocunque se habeat est moraliter bona bonitate formali.

Solutio: *Quod est honestum, & laudabile honestate, & laudabilitate formali, est bonum etiam moraliter bonitate formali,* Concedo. *quod est tantùm hone-*

ſtum, & laudabile honeſtate, & laudabilitate fundamentali eſt moraliter bonum bonitate formali, Nego. atqui *executio præcepti nobis impoſiti quomodocunque tandem ponatur eſt honeſta, & laudabilis honeſtate, & laudabilitate formali,* Nego. *honeſtate fundamentali,* Concedo. *Honeſtas formalis eſt tendentia voluntatis poſitiua in rem bonam, quia bona eſt, quæ ſanè tendentia, vt clarum eſt, haberi nequit ſine actu poſitiuo, ac proinde nec honeſtas formalis. Fundamentalis verò eſt illud, ad quod terminatur tendentia illa poſitiua, quod eſſe poteſt ſæpiſſimè aliquid negatiuum, vt verbi gratia mera omiſſio furti, tunc cùm viget præceptum de non furando. Quæ ſi ametur à voluntate refundet in voluntatem honeſtatem formalem, qua ipſa propterea caret, quod non ſit quid poſitiuum, & ea de cauſa non ſit capax tendendi in rem bonam, quia bona eſt.*

Contrà. Executio præcepti nobis impoſiti per actum poſitiuum eſt honeſta, & laudabilis honeſtate, & laudabilitate formali ex conceſſis; atqui omnis planè executio præcepti nobis impoſiti eſt per actum poſitiuum: ergo executio præcepti nobis impoſiti quomodocunque ſe habeat eſt honeſta, & laudabilis honeſtate, & laudabilitate formali.

Minor pr. Omne voluntarium eſt poſitiuum; atqui omnis planè executio præcepti nobis impoſiti eſt voluntaria: ergo & poſitiua ſeu per actum poſitiuum.

Minor pr. Omne exercitium voluntatis eſt quid poſitiuum; atqui omne voluntarium eſt exercitium voluntatis: ergo omne voluntarium eſt poſitiuum.

Maior pr. Omne exercitium potentiæ vitalis est quid positiuum; atqui voluntas est potentia vitalis: ergo omne exercitium voluntatis est quid positiuum.

Solutio: *Omne exercitium potentiæ vitalis necessariæ est quid positiuum*, Concedo. *potentiæ vitalis liberæ*, Nego. *Ratio est, quia illius exercitium est tantùm facere, quod est semper positiuum, huius verò non tantùm facere, sed etiam non facere, quod vt verba ipsa declarant est quid negatiuum;* atqui *voluntas est potentia vitalis libera*, Concedo. *necessaria*, Nego.

Contrà. Omne quod est vitale debet esse quid positiuum; atqui exercitium actuale potentiæ vitalis etiam liberæ est vitale: ergo exercitium potentiæ vitalis etiam liberæ debet esse quid positiuum.

Solutio: *Omne quod est vitale intrinsecè debet esse quid positiuum*, Concedo. *quod est vitale tantùm extrinsecè, & per denominationem à principio, à quo procedit*, Nego. atqui *exercitium potentiæ vitalis etiã liberæ est quid vitale intrinsecè, vel extrinsecè*, Concedo. *intrinsecè tantùm*, Nego. *Huius enim exercitium aliquod cùm sit, vt dictum est, non facere, quod vt clarum est, non est vitale intrinsecè. De huius enim ratione est, vt petat fieri, & recipi in eo, à quo fit. Dicendum est consequenter omne exercitium potentiæ liberæ non esse vitale intrinsecè, ac proinde nec positiuum.*

Contrà. Omne exercitium potentiæ vitalis etiam liberæ est actus secundus vitæ; atqui actus secundus vitæ est quid vitale intrinsecè: ergo omne exercitium potentiæ vitalis est quid vitale intrinsecè.

Solutio : *Omne exercitium potentiæ vitalis etiam liberæ est actus secundus vitæ, hoc est, est in actu secundo vita intrinsecè, vel extrinsecè,* Concedo. *hoc est vita tantùm intrinsecè*, Nego. atqui *actus secundus vitæ, hoc est in actu secundo vita intrinsecè est quid vitale intrinsecè*, Concedo. *in actu secundo vita intrinsecè est quid vitale intrinsecè*, Nego.

Contrà. Omnis actus secundus vitæ est in actu secundo vita intrinsecè: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Actus secundus vitæ, qui est quid positiuum, est in actu secundo vita intrinsecè; atqui omnis actus secundus vitæ est quid positiuum: ergo omnis actus secundus vitæ, est in actu secundo vita intrinsecè.

Minor pr. Omnis actus secundus vitæ debet aliquid superaddere primo; atqui actus secundus vitæ, qui non est quid positiuum, nihil potest superaddere primo: ergo omnis actus secundus vitæ est quid positiuum.

Minor pr. Actus secundus vitæ, qui non est positiuus, est negatiuus; atqui negatiuus nihil potest superaddere primo: ergo actus secundus vitæ, qui non est quid positiuum, nihil potest superaddere primo.

Minor pr. Actus secundus, qui est quid negatiuum, nihil potest superaddere primo, nisi quod habet supra primum; atqui nihil habet supra primum: ergo actus secundus vitæ, qui est quid negatiuum, nihil potest superaddere primo.

Minor pr. Actus secundus, qui est quid negatiuum, nihil aliud dici potest habere supra primum, quàm negationem; atqui illam non habet

ſupra primum: ergo nihil dici poteſt habere ſupra primum.

Minor pr. Actus ſecundus, qui eſt aliquid negatiuum non habet ſupra primum, quod iſte habet independenter ab illo; atqui iſte habet independenter ab illo illam negationem: ergo actus ſecundus, qui eſt aliquid negatiuum non habet negationem ſupra primum.

Minor pr. Quod non habet actum independenter ab aliquo, independenter ab illo habet eius negationem; atqui actus primus independenter ab actu ſecundo, qui eſt aliquid negatiuum, non habet actum: ergo independenter ab illo habet eius negationem.

Solutio: Atqui *actus primus præciſè ſumptus independenter ab actu ſecundo, qui eſt aliquid negatiuum non habet actum,* Nego. *Vt coniunctus cum illo actu ſecundo, & dependenter ab illo,* Concedo.

Contrà. Actus primus præciſè ſumptus habet negationem actus ſecundi, qui eſt aliquid poſitiuum: ergo non habet actum independenter ab actu ſecundo, qui eſt aliquid negatiuum.

Antecedens pr. Actus primus præciſè ſumptus vel habet actum poſitiuum, vel negationem eius; atqui non habet ipſum: ergo habet negationem eius.

Maior pr. Actus, & eius negatio ſunt contradictoria; atqui nihil carere poteſt ſimul duobus contradictoriis: ergo actus primus præciſè ſumptus habet actum poſitiuum, vel negationem eius.

Solutio: Atqui *nihil carere poteſt ſimul duobus contradictoriis ſi ſpectetur ſecundum ſe, & realiter,* Concedo. *ſi ſpectetur formaliter, & præciſè, ſeu prout*

obiicitur nostro intellectui ipsum repræsentanti, non consideratis iis, cum quorum alterutro prout libuerit tamen coniungi debet, Nego. ergo *actus primus præcisè sumptus habet actum positiuum, vel negationem eius si spectetur secundum se, & realiter,* Concedo. *si spectetur formaliter, & prout est terminus repræsentationis, vt cuius non possumus reddere rationem, neque de negatione, neque de actu positiuo,* Nego. *Ratio est facilis, quia intellectus ex duobus, quæ necessariò coniunguntur potest repræsentare vnum alio non repræsentato, maxime si vnum præsupponat aliud, ac proinde cum actus isti secundi, positiuus scilicet, & negatiuus præsupponant primum, & suo modo ab eo dependeant: potest intellectus quantumuis cum ipso alter ex illis necessariò coniungatur, ipsum repræsentare neutro illorum repræsentato, quo casu verum est actum primum, non quidem realiter, sed præcisè sumptum, neque habere actum, neque eius negationem.*

SECTIO VI.

An violentia, & metus causent inuoluntarium simpliciter.

VIOLENTI definitio, Id, quod est à principio extrinseco passo, non conferente vim, includit duas conditiones: prima est, vt principium eius, quod efficitur non sit intrinsecum: & secunda, vt sit contra appetitum elicitum, vel innatum eius, in quo recipitur.

PRIMA CONCLVSIO:

Violentia causat inuoluntarium simpliciter.

INVOLVNTARIVM simpliciter est illud quod nihil habet voluntarij admixtum; atqui quæ sunt violenta nihil habent admixtum voluntarij: ergo violentia causat inuoluntarium simpliciter.

Minor probatur. Quæ non fiunt à principio intrinseco, & fiunt contra appetitum, nihil habent voluntarij admixtum; atqui quæ sunt violenta non fiunt à principio intrinseco, & fiunt contra appetitum: ergo nihil habent voluntarij admixtum.

Maior pr. Illa nihil habent voluntarij admixtum, quæ nihil habent eorum, ex quibus constituitur voluntarium; atqui quæ non fiunt à principio intrinseco, & fiunt contra appetitum, nihil habent eorum, ex quibus constituitur voluntarium: ergo quæ non fiunt à principio intrinseco, & fiunt contra appetitum nihil habent voluntarij admixtum.

Minor probatur. Voluntarium constituitur per id, quod est fieri à principio intrinseco & secundùm appetitum: ergo quæ non fiunt à principio intrinseco, & fiunt contra appetitum, nihil habent eorum, ex quibus constituitur voluntarium.

SECVNDA CONCLVSIO:

Metus causat inuoluntarium secundùm quid.

ILLVD causat inuoluntarium secundùm quid, quod habet aliquid tantum admixtum voluntarij; atqui quæ metu fiunt habent aliquid tantum admixtum voluntarij : ergo metus causat inuoluntarium secundum quid.

Minor pr. Illud habet tantum aliquid admixtum voluntarij quod habet tantum vnum ex illis, quæ constituunt voluntarium; atqui quæ metu fiunt habent tantum vnum ex illis, quæ constituunt voluntarium : ergo quæ metu fiunt habent tantum aliquid admixtum voluntarij.

Minor pr. Quæ constituunt voluntarium, sunt fieri à principio intrinseco,& esse secundum appetitum, aut saltem non esse contra appetitum; atqui quæ metu fiunt habent tantum vnum ex illis: ergo quæ metu fiunt habent tantum vnum ex illis,quæ constituunt voluntarium.

*Minor pr.*Habent tantum fieri à principio intrinseco:ergo habent tantum vnum ex illis.

Antecedens probatur. Non habent esse secundum appetitum:ergo habent tantùm fieri à principio intrinseco.

Antecedens pr. Sunt contra appetitum : ergo non habent esse secundum appetitum.

Antecedens probatur. Illa sunt contra appetitum, quæ fiunt cum magna repugnantia; atqui quæ metu fiunt, fiunt cum magna repugnantia;

ergo ſunt contra appetitum.

Minor pr. Proiectio mercium in mare ad leuandam nauim in periculo naufragij,fit ex metu mortis;atqui fit cum magna repugnantia : ergo quæ metu fiunt,ſunt cum magna repugnantia.

Minor pr. Proiectio illa mercium fit cum tanta repugnantia, quantus erat affectus eius, ad quem pertinebant erga illas ; atqui magnus erat affectus eius , ad quem pertinebant erga illas:ergo proiectio illa mercium fit cum magna repugnantia.

Obiicies. Illud non cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, quod nullo modo cauſat inuoluntarium;atqui metus nullo modo cauſat inuoluntarium : ergo non cauſat inuoluntarium ſecundùm quid.

Minor pr. Metus eſt odium mali imminentis, & impendentis ; atqui odium mali impendentis nullo modo cauſat inuoluntarium : ergo neque metus.

Minor pr. Malum impendens vel eſt leue,& non formidandum viro forti,vel graue, & timendum à viro forti ; atqui neutrius odium cauſat inuoluntarium : ergo odium mali impendentis nullo modo cauſat inuoluntarium.

Minor pr. Malum impendens graue, & formidandum viro forti ſunt v.g. pœnæ inferni,& leue, & non formidandum viro forti iactura pomi ; atqui odium pœnarum inferni,& iacturæ pomi non cauſant inuoluntarium: ergo odium mali impendentis tum grauis,& formidandi viro forti, tum leuis non cauſant inuoluntarium.

Minor pr. Quæ fiunt ex odio pœnarum infer-

ni, & iacturæ pomi non sunt vllo modo inuoluntaria: ergo odium pœnarum inferni, & iacturæ pomi nullo modo causant inuoluntarium.

Antecedens pr. Quæ fiunt ex odio pœnarum inferni impendentium (& par est ratio de iactura pomi) sunt prosecutio eorum, per quæ illas auertimus à nobis; atqui prosecutio eorum per quæ illas elongamus, & auertimus à nobis, nullo modo est nobis inuoluntaria: ergo quæ fiunt ex odio pœnarum inferni impendentium, & iacturæ pomi nullo modo sunt inuoluntaria.

Minor pr. Obseruatio mandatorum Dei est prosecutio eorum, per quæ illas elongamus, & auertimus à nobis; atqui obseruatio mandatorum Dei nullo modo est inuoluntaria: ergo neque prosecutio eorum per quæ elongamus, & auertimus à nobis pœnas inferni.

Minor pr. Illud nullo modo est inuoluntarium, quod est maximè laudabile, & summo præmio dignum; atqui obseruatio mandatorum Dei est maximè laudabilis, & summo præmio digna: ergo obseruatio mandatorum Dei nullo modo est inuoluntaria.

Solutio: *Neganda est maior. Ratio est, quia vt aliquid sit laudabile sufficit, vt libere fiat cum sufficienti cognitione boni, & mali. Illud autem, quod est inuoluntarium secundum quid liberè fieri potest, & cum sufficienti cognitione mali, & boni. Ad hoc enim vt aliquid sit inuoluntarium secundum quid, sufficit vt sit contra appetitum, seu fiat cum aliqua tristitia, seu difficultate, quod tantum abest vt minuat laudabilitatem operis, vt sæpè illam augeat. Arguit enim maiorem amorem*

eius, cuius intuitu, & in cuius gratiam superantur illæ difficultates.

Contrà. Illud nullo modo est inuoluntarium quod fit ex præuia cognitione, & non est contra appetitum; atqui quod est maximè laudabile, & summo præmio dignum fit ex prȩuia cognitione, & non est contra appetitum: ergo nullo modo est inuoluntarium.

Prima pars minoris est clara, & secunda probatur.

Ratio & dignitas summæ laudabilitatis & summi præmij est maximè secundum appetitum: ergo quod est maximè laudabile, & summo præmio dignum non est contra appetitum.

Solutio: *Ratio, & dignitas summæ laudabilitatis, & summi præmij repræsentata vt amanda est maximè secundum appetitum, seu amabilis*, Concedo. *non repræsentata vt amanda, sed consequens tantùm ex opere suscepto ex odio pœnæ infligendæ omißioni illius operis*, Nego. *Opus enim illud sæpè est valdè difficile, & multum repugnans inclinationi, & appetitui operantis.*

Contrà. Obseruatio diuinorum mandatorum, odii v.g. prosecutionis furti, & odij Dei non suscipitur ex odio pœnæ æternæ infligendæ: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod ex odio alterius odio habetur minus odio habetur quàm illud; atqui prosecutio furti, & odium Dei non debent minus odio haberi quàm pœna æterna: ergo obseruatio mandatorum Dei, odium v. g. prosecutionis furti, & odij Dei non est, & non suscipitur ex odio pœnarum æternarum.

Solu-

Solutio : *Quod ex odio alterius odio habetur, minus odio habetur quàm illud appretiatiuè, vel non appretiatiuè*, Concedo. *appretiatiuè tantum*, Nego. atqui *prosecutio furti, & odium Dei non debent minus odio haberi appretiatiue, quàm pœna aeterna incomplete sumpta, & sine multitudine illa peccatorum grauissimorum cum quibus est coniuncta*, Concedo. *non appretiatiuè, aut si sumatur pœna aeterna coniuncta multitudini illi peccatorum, in quibus occupantur damnati*, Nego. *Appretiatiuè vnum odio minus habetur, quàm aliud, cum si ambo non possent vitari, & necessitas esset incurrendi alterum ex illis, subiremus potius illud quod minus odio habetur. Non appretiatiuè verò, quando non potius vitaremus istud, quàm aliud, posita necessitate subeundi alterum ex illis. Vitamus tamen nunc istud, propter vtilitatem quam habet ad vitandum aliud, quod est laudabile vitare.*

Contrà. Quod est magis odibile quàm pœna æterna, non potest minùs odio haberi etiam non appretiatiuè, quàm illa; atqui odium Dei est magis odibile, quàm pœna æterna : ergo non potest minùs odio haberi etiam non appretiatiuè quàm illa.

Solutio: *Quod est magis odibile, quàm pœna æterna, non potest minus odio haberi etiam non appretiatiuè quàm illa, hoc est, non potest vitari, & fuga illius assumi vt medium, vt vitetur illa*, Nego. *Cum enim ad hoc possit conducere, & in conducibilitate illa nihil appareat inhonesti, nihil est propter quod non possit quis illa vti in eum finem. Non potest minus odio haberi etiam non appretiatiuè*,

hoc est amari amore formali, aut virtuali, Concedo. ergo *non potest minùs odio haberi, quàm illa etiam non appretiatiuè, hoc est non potest vitari, & fuga illius assumi vt medium, & tanquam aliquid conducens vt vitetur illa*, Nego. *non potest minùs odio haberi etiam non appretiatiuè, hoc est amari amore formali, vel virtuali*, Concedo. *Clarum autem est in illo modo agendi, non esse vllum planè affectum voluntatis erga illud odium.*

Contrà. Quod debet esse finis non debet assumi vt medium, & si assumatur est inordinatio; atqui quod est magis odibile debet esse finis respectu minùs odibilis: ergo non debet assumi vt medium, & si assumatur est inordinatio.

Solutio: *Quod debet esse finis, & nullam habet ad aliud conducibilitatem, & si quam habeat non est licitum ea vti, non potest esse medium*, Concedo. *si habeat aliquam conducibilitatem, & nulla sit inhonestas ea vti*, Nego. atqui *quod est magis odibile debet esse finis respectu minùs odibilis, & non habet conducibilitatem ad aliud vitandum, & illicitum est vti ea, quam habet*, Nego. *aliquam habet, & licitum est ea vti*, Concedo. *Quòd aliquam habeat conducibilitatem non est dubium. Quòd etiam ea vti liceat inde facilè est colligere, quia vsus ille nihil est aliud, quàm odisse quod reuera odibile est non tantùm propter propriam, & intrinsecam fœditatem, sed etiam alienam quæ vitari non posset, & necessariò contrahenda esset, si ipsum non vitaretur, & odio haberetur.*

Cæterùm cùm odio habetur peccatum ex odio pœnæ æternæ, licèt ille actus factus consequenter ad cognitionem non repræsentantem aliam

fœditatem in peccato, quàm eam, quam in illud refundit pœna æterna, non magis abhorreat ab illo, quàm à gehenna, quam vult vitare: per alium tamen actum factum consequenter ad aliam cognitionem repræsentatiuam maioris ipsius fœditatis, quàm sit in pœna æterna, potest magis odio haberi, & quidem vtroque illo modo honestè: per vtrumque enim illud odium voluntas fugit à re omnino fugienda. & nec formaliter, nec interpretatiuè potest dici esse prauè affecta in vllum obiectum, vt infertur esse in voluptatem, cùm ita ab illa abstinet, vt si amor illius non esset puniendus pœna æterna, non abstineret ab illo, & nullum fœditatis illius haberet odium. Dispositio siquidem illa animi nullam arguit veram auersionem à fœditate voluptatis, & affectum sincerum erga præstantiam, & summam excellentiam supremi legislatoris infligentis illam pœnam, sed tantùm infamem amorem sui ipsius, & propriorum commodorum, propter quæ tantùm, & quia illis contraria est pœna æterna ab ea abhorret: quod non idem euenit in aliis actibus, in quibus non est eadem dispositio animi, nec ille affectus virtualis tantùm erga propria commoda, sed alius præterea erga supremum legislatorem, ex cuius amore ex parte timemus eius iram, & effectus huius iræ, qui sunt pœna æterna. Idem enim animaduertere est in nobis tunc temporis quod in filio, qui à parēte, quē non perfectè amat, iussus abstinere ab aliquo, sine cōminatione pœnę non obtemperat, addita verò pœna obediens est. Eius siquidem affectus erga parentem cùm non esset in eo satis magnus, vt solus determinaret il-

lum ad obseruationem rei præceptæ: iunctus alteri affectui, quem habet erga se filius, & ex quo odit pœnam imponendam si non obediat, acquirit satis virium ad terminandum ipsum ad exequendum quod imperatum est. Quòd autem executio illa paterni mandati oriatur non tantùm à timore pœnæ præcisè, sed etiam à metu indignationis patris, & ex virtuali affectu erga ipsum, & non tantùm erga propria commoda; ex eo colligi potest, quòd cùm amor ille vterque possit influere ad excitandum illum timorem, & neutri desit applicatio; vterque enim obuersatur menti, neutri etiam neganda videatur in illum actiuitas; licèt ad eam ponendam primus erga patrem propter debilitatem non esset solus sufficiens.

Atque ex his patet primò timorem pœnarum inferni esse verè laudabilem, cùm sit virtualis affectus saltem partialis erga supremum legislatorem, cuius amor, cùm non est sufficiens solus ad mouendos nos ad ea, quæ iubet, iuuatur ad hoc per affectum quem habemus erga nos: ex quo volumus vitare pœnam, quam comminatur si cõtemnamus facere quod præcipit. Qui affectus conseruationis vitæ spiritalis non potest non censeri honestus, & laudabilis, & consequenter timor, de quo est quæstio, & qui oritur ex duobus illis affectibus honestis, & laudabilibus, non esse ipse honestus, & laudabilis.

Secundò, quantitatem timoris mali impendentis metiendam esse ex quantitate affectus erga bonum amatum, cui illud malum opponitur, & cuius est destructiuum, aut impeditiuum, tantumque esse posse aliquando metum, vt perturbet ra-

tionem, & quæ ex eo fiunt non sint libera; aut si sint absolute, non censeantur tamen habere tantum indifferentiæ quantum satis est ad contrahendam obligationem, quæ nascitur aut ex contractu ciuili, aut ex voto, ad quæ requiritur plena libertas, & dominium perfectum actus, ex quo nascitur talis obligatio.

Tertiò, licèt metus cadens in constantem virum, seu mali grauis impendentis excuset à violatione ieiunij, aut alterius præcepti Ecclesiastici, quæ Ecclesia vt pia Mater non vult seruari à nobis cum tanto incommodo, non excusare tamen à violatione præceptorum naturalium, prolatione v. g. mendacij, quia scilicet cùm præceptum de non mentiendo sit necessarium, & non possit temperari per benignam interpretationem mentis iubentis, aliunde verò malum, quod per ipsum incurritur ruinæ spiritalis, sit maius, quàm quodcunque temporale imminens: esset inordinatum ad vitandum istud, incurrere aliud, & conseruatio vitæ spiritalis longè pretiosioris temporali isti postponeretur contra omne ius fásque.

SECTIO II.

An concupiscentia causet inuoluntarium.

PER concupiscentiam intelligimus inclinationem illam, & propensionem, quam habet natura sensitiua in bonum delectabile, & iucũdum.

Eam autem esse longè vehementiorem, quam sit inclinatio naturæ rationalis in bonum honestum, ex eo fit, quòd istud cùm non percipiatur immediatè per proprias species, ac vt præsens sicut illud, eius etiam appetitiones non sunt tam vehementes, difficiliùs excitantur, & facilius cohibentur, quàm illius appetitiones. Aliquæ enim vix impediri possunt.

PRIMA CONCLVSIO:

Concupiscentia non causat inuoluntarium vt plurimùm.

ILLVD non causat inuoluntarium, quod habet omnia, quæ requiruntur ad voluntarium; atqui quæ fiunt ex concupiscentia habent vt plurimùm omnia, quę requiruntur ad voluntarium vt plurimùm.

Minor pr. Ea, quæ requiruntur ad voluntarium sunt, vt fiat à principio intrinseco, & non sit contra aliquem appetitum; atqui quæ fiunt ex concupiscentia fiunt à principio intrinseco, & non sunt vt plurimum contra appetitum: ergo quæ fiunt ex concupiscentia habent vt plurimum omnia quę requiruntur ad voluntarium.

Prima pars minoris clara est, & secunda probatur.

Quæ fiunt secundùm appetitum non sunt contra appetitum; atqui quæ fiunt ex concupiscentia fiunt vt plurimum secundum appetitum: ergo

non fiunt contra appetitum.

Minor probatur. Illa fiunt secundùm appetitum; quę fiunt consequenter ad aliquem appetitum vehementem antecedentem; sed quæ fiunt ex concupiscentia, fiunt vt plurimum consequenter ad aliquem appetitum vehementem antecedentem: ergo fiunt secundùm aliquem appetitum.

Minor pr. Quæ fiunt ex concupiscentia fiunt consequenter ad concupiscentiam; atqui concupiscentia vt plurimum, est appetitus vehemens, & antecedens: ergo fiunt consequenter ad aliquem appetitum vehementem antecedentem.

Minor pr. Concupiscentia est inclinatio actualis in bonum delectabile; atqui illa inclinatio vt plurimum est actus appetitus vehemens, & antecedens: ergo concupiscentia est appetitus vehemens, & antecedens.

Minor pr. Inclinatio necessaria in bonum delectabile est appetitus vehemens, & antecedens cùm nihil illi resistit; atqui inclinatio in bonum delectabile est necessaria, & vt plurimum nihil ei se opponit, & resistit: ergo est vehemens, & antecedens.

Maior pr. Inclinatio, quæ habet magnas vires, & totis illis, & quàm maximo potest conatu fertur in bonum delectabile nullo ei resistente, est quid vehemens; atqui inclinatio necessaria in bonum delectabile habet magnas vires, & totis illis fertur in illud, & quàm maximo potest conatu nullo ei vt plurimùm resistente: ergo est vehemens, & antecedens.

Addidi in conclusione vt plurimum, quia non est semper verum nihil resistere concupiscentię,

& inclinationi in bonum delectabile. Cum enim est intensus habitus erga honestum illi contrarium, appetitiones boni illius delectabilis, non fiunt sine repugnantia appetitus rationalis, & propensionis, quam habet ad bonum honestum contrarium illi delectabili.

Obiicies. Quæ fiunt ex concupiscentia non habent omnia, quæ requiruntur ad voluntarium: ergo concupiscentia causat inuoluntarium.

Antecedens pr. Quæ fiunt ex concupiscentia sunt contra appetitum; ergo non habent omnia, quæ requiruntur ad voluntarium.

Antecedens pr. Concupiscentia est actus vehemens appetitus sensitiui circa bonum delectabile; atqui quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa bonum delectabile, sunt sæpè contra appetitum: ergo quæ fiunt ex concupiscentia sunt contra appetitum.

Minor probatur. Quæ fiunt cum aliqua tristitia sunt contra appetitum; atqui quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa bonum delectabile fiunt sæpè cum tristitia: ergo fiunt contra appetitum.

Solutio: *Quæ fiunt cum aliqua tristitia fiunt contra appetitum aliquem*, Concedo. *omnem*, Nego. *& concessa minori*: ergo *fiunt contra appetitum aliquem*, Concedo. *omnem*, Nego.

Contrà. Quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa bonum delectabile sunt contra omnem appetitum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quando bonum delectabile est turpe, quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa illud, sunt contra omnem appetitum;

atqui sæpè bonum delectabile est turpe : ergo quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa bonum delectabile, fiunt contra omnem appetitum.

Solutio : *Quando bonum delectabile est turpe, quæ fiunt ex actu vehementi appetitus sensitiui circa illud sunt contra omnem appetitum, si id, quod est delectabile consideretur præcisè vt turpe*, Concedo. *si non consideretur præcisè vt turpe, sed simul etiam vt delectabile*, Nego. atqui *sæpè bonum delectabile est turpe, & non consideratur præcisè vt turpe, sed simul vt delectabile*, Concedo. *& consideratur præcisè vt turpe*, Nego. *Circa enim illud vt tale nullus versatur actus prosecutiuus appetitus, sed potiùs auersatiuus, & odium. Circa illud tamen vt delectabile versari potest, & de facto versatur actus appetitus sensitiui, ac proinde non est contra omnem appetitum.*

Secunda Conclusio:

Concupiscentia minuit liberum.

Illud minuit liberum, quod minuit ea, quæ faciunt ad perfectionem libertatis; atqui concupiscentia minuit ea, quæ faciunt ad perfectionem libertatis : ergo concupiscentia minuit liberum.

Minor probatur: Indifferentia propensionis facit ad perfectionem libertatis; atqui concupiscentia minuit illam indifferentiam : ergo minuit etiam illa, quæ faciunt ad perfectionem libertatis.

Minor pr. Indifferentia propensionis posita est

in eo, quod agens liberum non magis propendeat in vnam partem, quàm in aliam; ſed concupiſcentia minuit id, quod eſt ipſum non propendere in vnam partem magis quàm in aliam: ergo concupiſcentia minuit indifferentiam propenſionis.

Minor pr. Illud quod facit, vt agens liberum propendeat magis in vnam partem, quàm in aliam tollit, ſeu minuit id, quod eſt ipſum non propendere magis in vnam partem, quàm in aliam; atqui concupiſcentia facit, vt agens liberum propendeat magis in vnam partem, quàm in aliam: ergo concupiſcentia minuit id, quod eſt ipſum non propendere magis in vnam partem, quàm in aliam.

Minor pr. Appetitus vehemens circa bonum facit, vt agens liberum magis propendeat ad eius amorem quàm ad eius odium; atqui concupiſcentia eſt huiuſmodi appetitus vehemens: ergo concupiſcentia facit vt agens liberum propendeat magis in vnam partem, quàm in aliam.

SECTIO VIII.

An ignorantia cauſet inuoluntarium.

IGNORANTIA duplex eſt, vna iuris, alia facti. Prima eſt non aduertentia id, quod proponitur amandum, aut agendum eſſe prohibitum, aut imperatum, iuxta, aut contra rectam rationem, vt cùm quis ignorat furtum rei ſacrę pro-

hibitum esse lege naturali, ciuili, & Ecclesiastica. Secunda est non aduertentia id, quod proponitur amandum, aut agendum, esse id, quod lege naturali, ciuili, aut Ecclesiastica quas probè nouimus vetatur, vt cùm id, quod accipimus non aduertimus esse rem alienam, & sacram. Ignorantia tum iuris, tum facti triplex est, scilicet antecedens, comitans, & consequens. Prima est causa, cur quod ignoratur fiat: secunda non est causa, cur fiat, sed indifferenter se habet ad illud: tertia est quasi effectus eius, quod fit, & dicitur vincibilis, & affectata: aliæ verò duæ possunt esse inuincibiles, seu tales, vt scientia contraria haberi non possit, per quod excusantur à culpa.

Exemplum primæ est, cùm quis putans inter venandum occidere feram interficit amicum: secundæ, cùm idem putans occidere feram occidit hostem: tertiæ, cùm idem vt possit ire ad venationem vitat discere esse obligationem audiendi sacrum.

PRIMA CONCLVSIO:

Ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter.

INVOLVNTARIVM simpliciter est illud, quod nihil habet admixtum voluntarij; atqui id, quod causat ignorantia antecedens nihil habet admixtum voluntarij: ergo ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter.

Minor pr. Illud nihil habet admixtum voluntarij, quod nihil habet eorum, quæ constituunt

voluntarium; atqui id, quod cauſat ignorantia antecedens, nihil habet eorum, quæ conſtituunt voluntarium: ergo id, quod cauſat ignorantia antecedens nihil habet admixtum voluntarij.

Minor pr. Ea, quæ conſtituunt voluntarium ſunt fieri à principio intrinſeco ex præuia cognitione, & non eſſe contra appetitum; atqui id, quod cauſat ignorantia antecedens, non fit à principio intrinſeco ex præuia cognitione, & eſt contra appetitum: ergo nihil habet eorum, quæ conſtituunt voluntarium.

Prima pars minoris probatur.

Quæ fiunt ex defectu cognitionis non fiunt ex præuia cognitione; atqui id, quod cauſat ignorantia antecedens fit ex defectu cognitionis: ergo non fit ex prequia cognitione.

Minor pr. Illud fit ex defectu cognitionis, quod fit ex ignorantia; atqui id, quod cauſat ignorantia antecedens fit ex ignorantia: ergo id, quod cauſat ignorantia antecedens fit ex defectu cognitionis.

Minor pr. Illud fit ex ignorantia, cuius ignorantia eſt cauſa; atqui ignorantia antecedens eſt cauſa eius, quod cauſat: ergo id, quod cauſat ignorantia antecedens fit ex ignorantia.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, id quod cauſat ignorantia antecedens eſſe contra appetitum, probatur.

Illud eſt contra appetitum, quod excitat triſtitiam; atqui id, quod cauſat ignorantia antecedens excitat triſtitiam: ergo eſt contra appetitum.

Minor pr. Illud excitat triſtitiam, quod nolle-

mus, & dolemus non fecisse; atqui dolemus, & nollemus fecisse id, quod causat ignorantia antecedens: ergo id, quod causat ignorantia antecedens excitat tristitiam.

Minor pr. Illud nollemus, & dolemus fecisse, quod nunquam faceremus, si abesset ignorantia; atqui nunquam faceremus id, quod causat ignorantia antecedens si ipsa abesset: ergo dolemus, & nollemus fecisse id, quod causat ignorantia antecedens.

SECVNDA CONCLVSIO:

Ignorantia concomitans causat non voluntarium.

NON voluntarium est illud, quod non est contra appetitum, fit tamen sine præuia cognitione; atqui id, quod causat ignorantia concomitans licèt non sit contra appetitum, fit tamen sine præuia cognitione: ergo ignorantia concomitans causat non voluntarium.

Prima pars minoris probatur.

Illud non est contra appetitum, quod non dolemus fecisse; atqui non dolemus fecisse id, quod causat ignorantia concomitans: ergo non est contra appetitum.

Minor pr. Illud non dolemus fecisse, quod lubenter fecissemus etiamsi abfuisset illa ignorantia; atqui fecissemus id, quod causat ignorantia concomitans licèt illa abfuisset: ergo non dolemus id fecisse.

Minor pr. Fecissemus licèt abfuisset ignoran-

tia concomitans illud, cuius ipſa non eſt cauſa; atqui illud quod fit ex ignorantia concomitante non habet ipſam pro cauſa: ergo illud feciſſemus licèt illa abſuiſſet.

Minor probatur. Quod eſt tantùm aliud comitans non eſt eius cauſa; atqui ignorantia concomitans eſt tantùm comitans: ergo non eſt eius cauſa.

Secunda pars minoris ſuperioris argumenti, id, quod cauſat ignorantia comitans non fieri ex præuia cognitione, probatur.

Illud non fit ex præuia cognitione, cuius nulla habetur cognitio; atqui nulla habetur cognitio eius, quod cauſat ignorantia concomitans: ergo id, quod cauſat ignorantia comitans non fit ex præuia cognitione.

Minor pr. Illius nulla habetur cognitio, cuius adeſt ignorantia; atqui adeſt ignorantia eius, quod cauſat ignorantia concomitans: ergo nulla habetur eius cognitio.

TERTIA CONCLVSIO:

Ignorantia conſequens cauſat voluntarium ſimpliciter.

VOLVNTARIVM ſimpliciter eſt illud, quod fit à principio intrinſeco ex præuia cognitione, & non eſt contra appetitum; atqui id, quod cauſat ignorantia conſequens fit à principio intrinſeco ex præuia cognitione, & non eſt contra appetitum: ergo ignorantia conſequens cauſat voluntarium ſimpliciter.

Minor pr. Illud fit ex præuia cognitione,& non est contra appetitum, quod est sufficienter præuisum,& est volitum; atqui id, quod causat ignorantia consequens est sufficienter præuisum,& est volitum: ergo id, quod causat ignorantia consequens fit ex præuia cognitione,& non est contra appetitum.

Minor pr. Illud est sufficienter præuisum,& volitum quod præuidetur,& appetitur in sua causa; atqui id,quod causat ignorantia consequens præuidetur, & appetitur in sua causa: ergo est sufficienter præuisum, & volitum.

Minor pr. Illud quod causat ignorantia consequens amatur,& præuidetur in ipsa: ergo id,quod causat ignorantia consequens amatur, & præuidetur in sua causa.

Antecedens probatur. Illud amatur, & præuidetur in ipsa, ratione cuius ipsa amatur; atqui ratione eius, quod ipsa causat, & ad ipsam sequitur ipsa amatur: ergo amatur etiam, & præuidetur in ipsa.

Minor pr. Ratione eius ipsa amatur, ratione cuius odio habetur, & vitatur scientia opposita; atqui ratione eius, quod ipsa causat odio habetur, & vitatur scientia opposita: ergo ratione eius quod ipsa causat, & ad ipsam sequitur ipsa amatur.



QVARTA CONCLVSIO:

Ignorantia circunstantiæ substantialis facit actionem inuoluntariam.

ILLVD facit inuoluntariam aliquam actionem, quod facit, vt non fiat ex præuia cognitione, & sit contra appetitum; atqui ignorantia circunstantiæ substantialis facit, vt actio non fiat ex præuia cognitione,& sit contra appetitum: ergo ignorantia circunstantię substantialis facit actionem inuoluntariam.

Prima pars minoris probatur.

Illud non fit ex præuia cognitione, cuius abest cognitio; atqui cùm est ignorantia circunstantiæ substantialis alicuius actionis abest illius cognitio: ergo ignorantia circunstantiæ substantialis facit,vt actio non fiat ex præuia cognitione.

Minor pr. Tunc abest cognitio alicuius actionis, cùm abest cognitio illius essentiæ, & substantiæ; atqui cùm est ignorantia circunstantiæ substantialis alicuius actionis, abest cognitio essentiæ illius actionis: ergo & ipsiusmet actionis.

Minor pr. Circunstantia substantialis actionis est essentia illius; atqui cùm est ignorantia circunstantiæ substantialis,abest cognitio illius circunstantiæ:ergo & essentiæ.

Minor pr. Ignorantia nihil est aliud, quàm absentia scientiæ, seu cognitionis: ergo cùm est ignorantia substantialis circunstantiæ abest cognitio illius.

Secunda pars minoris superioris argumenti, ignorantiam circunstantiæ substantialis facere, vt actio sit contra appetitum, probatur.

Illud est contra appetitum, quod dolemus fecisse; atqui dolemus fecisse actionem consequenter ad ignorantiam circunstantiæ substantialis eius: ergo est contra appetitum.

Minor pr. Illud dolemus fecisse, quod non fecissemus si abfuisset ignorantia circunstantiæ substantialis; atqui non fecissemus actionem, quam facimus consequenter ad ignorantiam circunstantiæ substantialis: ergo dolemus fecisse actionem consequenter ad ignorantiam circunstantiæ substantialis.

SECTIO IX.

De Libero.

CERTVM est apud omnes primò libertatem, & liberum sonare immunitatem, & exemptionem à malo, quod afficere potest subiectum, cui tribuuntur.

Secundò, voluntatem comparatam cum triplici malo, peccato scilicet, miseria, & necessitate, quibus potest esse obnoxia, dici à D. Bernardo, habere triplicem libertatem, gratiæ videlicet, gloriæ, & naturæ. Prima est exemptio à peccato, secunda à miseria, & tertia à necessitate. Necessitas autem, quæ est determinatio ad vnum, aut potestas vnius cum impossibilitate potentiæ, & determi-

nationis ad oppositum, multiplex est. Primò enim alia est consequens, seu orta ex aliquo, quod non est prius eo, ad quod dicitur necessitare. Alia antecedens desumpta ex eo, quod est eius causa, aut quasi causa, quæ si sit moralis dicitur necessitas moralis, & physica, si petatur à causa physica. Necessitas absoluta, seu independens ab omni conditione habet sibi oppositam, eam quæ est tantùm determinatio ad vnum cum impossibilitate oppositi dependenter ab aliqua conditione, quæ impossibilitas cùm non potest tolli, etiam diuinitus, appellatur metaphysica; si verò tantùm physicè, vocatur physica; & si denique auferri non possit moraliter, dicitur moralis.

Tandem necessitas alia est spontanea, alia coactionis. Spontanea in præsenti materia, est determinatio appetitus à bonitate obiecti, coactiua verò ab aliquo extrinseco efficiente, aut quasi efficiente, & contra appetitum.

Quot modis dicitur necessitas, tot appellatur etiam illi opposita indifferentia seu libertas, de cuius ratione cùm hoc tertio modo sumitur, sunt duo. Primum est, vt voluntas habeat ea omnia, quibus eget, vt possit agere. Secundum, vt ea ita habeat, vt iis vti possit ad nutum, & prout libuerit. Defectu illorum, aut alterius ex illis voluntas caret hoc genere libertatis, & indifferentia, quæ dum se extendit ad opposita contrariè, vt sunt amor, & odium eiusdem rei, aut quasi contrariè, vocatur libertas contrarietatis. Dum verò versatur circa opposita contradictoriè, vt sunt amor, & negatio amoris alicuius obiecti, appellatur libertas contradictionis.

Tertiò, indifferentiam iudicij, quod manifestat voluntati, quid in obiecto bonum sit, & malum, in eo consistere quòd illud ei repræsentet, neque merè, & purè bonum, neque purè malum, sed mixtum ex vtroque.

Quartò, voluntatem posse se habere diuersimodè circa bonitatem, & malitiam in obiecto repræsentatam: primò, ita vt neutram possit amare, vel odisse: secundò, ita vt non possit cohibere amorem, aut odium: tertiò, ita vt possit quidem ponere amorem, vel ab eo cessare, non tamen ponere odium, vel è contrà: quartò, ita vt possit ad nutum, & prout libuerit ponere amorem, vel odium, vel abstinere ab vtroque. Ex variis autem illis modis agendi quinam gaudere debeat nomine libertatis diffident auctores. Quid nos sentiendum iudicemus aperient sequentes conclusiones.

PRIMA CONCLVSIO:

Libertas non est immunitas à coactione.

QVOD est immune à coactione non est liberum: ergo libertas non est immunitas à coactione.

Antecedens pr. Omne voluntarium est immune à coactione; atqui omne voluntarium non est liberum: ergo nec omne, quod est immune à coactione.

Probatur minor de voluntario humano, de quo est tota difficultas.

Quod non est à libero hominis arbitrio non est liberum; atqui omne voluntarium humanum

non est à libero hominis arbitrio : ergo non est liberum.

Minor probatur. Liberum arbitrium hominis est potentia ad vtrumlibet;atqui omne voluntarium non est à potentia ad vtrumlibet:ergo nec à libero hominis arbitrio.

Maior pr. Liberum arbitrium Adæ erat potentia ad vtrumlibet : ergo & illud aliorum hominum.

Respondent: *Liberum arbitrium Adæ ante lapsum erat potentia ad vtrumlibet,* Concedunt.*post lapsum,* Negant.

Contrà. Liberum arbitrium Adæ post lapsum mansit idem,ac erat antè:ergo etiam post lapsum erat potentia ad vtrumlibet.

Antecedens pr. Quod per peccatum Adæ non est amissum, nec extinctum, mansit idem post eius lapsum,ac erat antè; atqui ex Conc.Trid. sess. 6. can.5. liberum hominis arbitrium per peccatum Adæ non est amissum , nec extinctum : ergo post Adæ lapsum mansit idem, ac erat antè.

Respondent: Atqui *liberum hominis arbitrium per peccatum Adæ non est amissum, nec extinctum quoad immunitatem à coactione,& id, quod est fieri à principio intrinseco cum cognitione,* Concedunt.*quoad indifferentiam ad opposita,* Negant. *& simili modo distinguunt consequens.*

Contrà. Liberum arbitrium nostrum habet indifferentiam ad bonum,& malum:ergo per peccatum Adæ non est amissum, nec extinctum quoad indifferentiam ad opposita.

Respondent : *Liberum arbitrium nostrum habet indifferentiam ad bonum , & malum, hoc est vertibili-*

tatem adhærendi nunc bono, deinde malo, & vice versa, Concedunt. *adhærendi vni potius, quàm alteri ad libitum*, Negant.

Contrà. Liberum arbitrium nostrum habet aliam indifferentiam circa bonum, & malum, quàm habeat appetitus belluarum circa cibum verbi gratia calidum, & frigidum; atqui ist: habet vertibilitatem adhærendi modò cibo verbi gratia calido, modò frigido: ergo liberum arbitrium nostrum non habet indifferentiam, quæ sit tantùm vertibilitas adhærendi modò vni, deinde alteri.

Respondent: *Liberum arbitrium nostrum habet aliam indiff. rentiam formaliter, quam habeat appetitus belluarum*, Negant. *radicaliter*, Concedunt. *propterea quòd scilicet oriatur, & dependeat in genere moris ab illo Adæ, quod ita adhærebat bono, vt potuisset ab illa adhæsione abstinere, & loco eius ponere contrariam;* atqui *appetitus brutorum habet vertibilitatem adhærendi modò cibo v.g. calido, modò frigido, & illa vertibilitas non oritur, neque dependet in genere moris ab aliquo, in cuius pot state fuerit cum appetit cibum calidum ab eo abstinere, aut præferre frigidum*, Concedunt. *& oritur ab aliquo huiusmodi*, Negant. *Nullum enim tale fuit.*

Contrà. Quod ita afficitur circa obiectum suum, vt ab eo possit abstinere, habet indifferentiam formalem ad illud; atqui arbitrium nostrum ita afficitur circa suum obiectum, vt ab eo possit abstinere: ergo habet indifferentiam non tantùm radicalem, sed etiam formalem ad illud.

Minor pr. Cui præcipitur abstinere ab affectu circa aliquod obiectum, & quod peccat non abs-

tinendo ab illo affectu, potest ab eo abstinere; atqui præcipitur arbitrio nostro abstinere à multis affectibus circa varia obiecta, & peccat si non abstineat: ergo ita afficitur circa suum obiectum, vt cùm illud prosequitur possit ab eo abstinere.

Maior probatur. Ex D. Augustino libro secundo de gratia, & libero arbitrio cap. 18. & aliis SS. Patribus, Theologis, & Philosophis, *inaniter præcipitur quod aliter fieri non potest*, & libro tertio de libero arbitrio c. 18. *Nemo peccat in eo, quod cauere non potest*: ergo qui peccat non abstinendo ab eo, à quo præcipitur abstinere, potest ab eo abstinere.

Respondent: *Nemo peccat peccato proprio status innocentiæ, & primi hominis in eo, quod cauere non potest*, Concedunt. *peccato proprio status naturæ lapsæ, & posteriorum Adæ*, Negant.

Contrà. Peccatum propter quod plectimur pœna æterna sensus debet posse caueri; atqui peccata naturæ lapsæ puniuntur pœna æterna sensus: ergo debent posse caueri.

Respondent: *Peccatum, propter quod plectimur pœna æterna sensus, debet posse caueri in se, vel in causa, seu cùm primò incipit, aut cùm deinde continuatur*, Concedunt. *in se tantùm, vel duntaxat dum continuatur*, Negant. *& concessâ minori*: ergo *peccata naturæ lapsæ debent posse caueri in se, vel in causa, vel cùm primò incœpere*, Concedunt. *Potuêre autem inquiunt sic caueri, Adamus enim, cuius peccatum fuit causa istorum, in quo incœpêre, & cuius sunt tantùm continuatio, potuit ab eo abstinere. Debent posse caueri in se tan-*

tùm vel duntaxat dum continuantur, Negant. *sufficit siquidem si sint culpabilia in causa, aut sui incæptione, quæ fuit peccatum Adæ. Sicut enim aiunt ad laudabilitatem alicuius actus, & libertatem satis esse vt cùm primò ponitur, ita ponatur vt potuerit non poni, licèt postea necessariò perseueret (cuius naturæ esse volunt volitionem creationis mundi v g. ab æterno, à qua Deus cessare non potest propter suam immutabilitatem) ita peccata nostra sunt sufficienter libera, & culpabilia per hoc, quod cùm primo incæpit illud Adæ, cum quo nostra faciunt vnum, & sunt tantùm eius quasi continuatio potuerit non fieri, quantumuis iam ab istis nos non poßimus nos præseruare.*

Contrà. Peccata naturæ lapsæ sunt in se, & non tantùm in sua causa, & incæptione modo iam explicato culpabilia : ergo etiam in se, & non tantùm in sua causa, & incœptione debent posse caueri.

Antecedens pr. Non sunt culpabilia in causa: ergo debent esse in se culpabilia.

Antecedens pr. In eo non sunt culpabilia, in quo nulla est culpa; atqui in causa istorum peccatorum, seu peccato Adæ nulla est culpa : ergo non sunt culpabilia in causa.

Minor probatur. In eo non est culpa, cuius culpa est condonata ; atqui culpa peccati Adæ per baptismum est condonata nobis: ergo in peccato Adæ nulla est culpa.

Respondent: *In eo non est culpa de præsenti, cuius culpa est condonata*, Concedunt. *non est iam, neque fuit*, Negant. *& concessa minori*; ergo *in peccato Adæ nulla est culpa de præsenti*, Concedunt. *non fuit*, Negant.

Contrà. Culpa destructa, & quæ cessauit, perinde est, & non plus facit, quàm si nunquam fuisset: ergo in eo, in quo nulla est culpa de præsenti quantumuis fuerit de præterito, non potest dici verè esse nunc, & de facto culpa.

Respondebunt fortè: *Culpa destructa, & quæ cessauit, perinde est, & non plus facit, quàm si nunquam fuisset, si non de nouo excitetur, & quasi reuiuiscat*, Concedunt. *si de nouo excitetur, & quasi reuiuiscat per cessationem condonationis, expulsa eius forma, gratia scilicet sanctificante per peccatum subsequens condonationem prioris*, Negant. *Cum enim velint condonationem peccati fieri formaliter per infusionem gratiæ, cessare etiam volunt condonationem, & quasi reuiuiscere peccatum prius, cum per posterius, & subsequens expellitur gratia.*

Contrà. Ex plurimis Scripturæ locis, communi sensu Patrum, & Theologorum peccata semel condonata nunquam reuiuiscunt, & si reuiuiscerent, non possent hoc habere per peccata naturæ lapsæ, à quibus non possumus abstinere: ergo culpa destructa, & quæ cessauit non reuiuiscit, & perinde est, & non plus facit, quàm si nunquam fuisset.

Prima pars antecedentis clara est, & secunda probatur.

Peccatum primi hominis per illud non reuiuiscit, per quod non expellitur gratia sanctificans, per quam fuit condonatum; atqui per peccata naturæ lapsæ, à quibus non possumus abstinere, gratia, per quam peccatum Adæ fuit condonatum nō expellitur: ergo peccatum primi hominis non reui-

reuiuiscit per peccata naturæ lapsæ, à quibus non possumus abstinere.

Minor pr. Gratia semel infusa non expellitur per id, quod non est culpa in se, neque formaliter culpabile; atqui peccata naturæ lapsæ, à quibus non possumus abstinere, non sunt ex concessis suprà, neque culpa in se, neque formaliter culpabilia: ergo gratia, per quam peccatum Adæ fuit condonatum, non expellitur per peccata naturæ lapsæ à quibus non possumus abstinere.

Maior pr. Gratia non expellitur per id, quod non est in se, neque formaliter demeritum: ergo neque per id, quod non est culpa in se, neque formaliter culpabile.

Antecedens pr. Quod Deus non concedit nobis extra sacramenta, nisi propter id, quod est meritum in se, & formaliter, non aufert etiam, & expellit à nobis nisi propter id, quod in se, & formaliter est demeritum; atqui non concedit nobis gratiam extra sacramenta nisi propter bona opera, quæ sunt in se, & formaliter meritum: ergo gratia non expellitur per id, quod non est in se, neque formaliter demeritum.

Minor probatur. Illud est in se, & formaliter meritum, per quod meremur gratiam, & gloriam; atqui ex Trid. sess. 6. can. 32. per bona opera meremur gratiam & gloriam: ergo bona opera, propter quæ nobis conceditur gratia sunt in se, & formaliter merita.

Respondebunt forte ad præcedens argumentū: *Negando maiorem propterea quòd peccata possunt intelligi continuari, & facere vnum cum peccato Adæ, quod in se, & formaliter est demeritum. Bo-*

na verò opera nihil habent, cum quo possint dici continuari, & facere vnum cum aliquo, quod sit in se & formaliter meritum. Non enim primò resipiscentia Adami, quia illa cùm non fuerit nisi post peccatum, & rebellionem concupiscentiæ, non fuit à potentia ad vtrumlibet (vt volunt) & deinde nec ipsa, nec alii actus boni Adami possunt censeri nostri, sicut eius peccatum. Nihil enim ab iis in nostras actiones bonas deriuatum est. Nec secundò opera Christi, quæ temerarium esset dicere esse nostra, & licèt hoc nobis competeret, cùm non sit à potentia ad vtrumlibet ex principiis aduersariorum, non essent in se, & formaliter meritum, de quo disputamus.

Contrà Gratia collata D. Petro non est expulsa per eius negationem tempore passionis, nisi quia hæc fuit in se, & formaliter demeritoria: ergo gratia non expellitur in nobis, nisi per id, quod est in se, & formaliter demeritum.

Antecedens pr. Illa negatio erat in se, & formaliter demeritum, quam D. Petrus habebat in sua potestate, & ita posuit, vt potuerit non ponere; atqui D. Petrus ita illam posuit, vt potuerit non ponere: ergo gratia collata Diuo Petro non est expulsa per eius negationem, nisi quia fuit in se, & formaliter demeritoria.

Minor pr. Tam D. Petrus habuit in sua potestate illam negationem, quàm dolorem, quem de illa deinde concepit; atqui habuit in sua potestate illum dolorem: ergo ita posuit illam negationem, vt potuerit non ponere.

Minor pr. Quod est in se, & formaliter meritum est in potestate eius, cuius est meritum; atqui dolor ille erat meritum in se, & formaliter D. Pe-

tri : ergo illum habuit in sua potestate.

Maior pr. Ille cui datur præmium habet in potestate id, propter quod ei debetur; atqui debetur ei propter id, quod est in se, & formaliter meritum : ergo quod est in se, & formaliter meritum est in potestate eius, cuius est meritum.

Maior probatur. Debet aliquid dedisse, aut contulisse de suo tanquam pretium, vt ei fieret debitum : ergo habet in potestate id, propter quod ei debetur.

Respondent : *Debet aliquid contulisse de suo, hoc est de aliquo, quod fuerit ab ipso, vt à principio intrinseco cum cognitione*, Concedunt. *De suo, hoc est de aliquo, cuius habeat dominium, & ad quod sit indifferens*, Negant.

Contrà. Productio actuum, quibus fit nobis debitum præmium supernaturale, ad quam non sumus indifferentes, & cuius non habemus dominium, facilè conciliatur cum infallibilitate præscientiæ diuinæ, & efficacitate gratiæ; atqui ex S. Augustino epist. 1. & 2. ad Valentinum, aliis SS. PP. & Theologis difficillima est huiusmodi conciliatio : ergo productio actuum, quibus fit nobis debitum præmium est indifferens, & illius habemus dominium.

Respondent : atqui *ex S. Augustino, aliis SS. PP. & Theologis difficillima est huiusmodi conciliatio in natura integra*, Concedunt. *in natura lapsa*, Negant. ergo *productio actuum, quibus fit nobis debitum præmium debet esse indifferens, & debetur nobis dominium illius in natura integra*, Concedunt, *in natura lapsa*, Negant.

Contrà D. Augustinus intelligit illam conci-

liationem de actibus, de quibus disputabat cum Cicerone, & Monachis Adrumetinis: atqui cum Cicerone, & Monachis Adrumetinis disputabat de actibus naturæ lapsæ: ergo ex S. Augustino difficillima est huiusmodi conciliatio in natura lapsa.

Prima pars minoris clara est: Cicero enim non nouerat aliam naturam, quàm vt iam illam habemus cum rebellione appetitus, & concupiscentia non frenata. & secunda probatur.

Actus boni naturæ lapsæ non oriuntur à gratia illos inferente necessariò: ergo disputabat D. Augustinus cum Monachis Adrumetinis de actibus naturæ lapsæ.

Antecedens pr. Gratia illa non infert necessariò nostros actus, quam respuere, & cui possumus resistere si velimus; atqui ex Concilio Senonensi an. 1528. Coloniensi an. 1536. & Tridentino sess. 6. cap. 4. & cap. 5. possumus respuere, & resistere gratiæ si velimus: ergo actus nostri boni non oriuntur à gratia illos inferente necessario.

Respondent: *Gratia non infert necessario nostros actus, quam respuere & cui possumus resistere si velimus, si possumus hoc velle, & istud sit in nostra potestate*, Concedunt. *si non possumus hoc velle*, Negant. Atqui *ex Tridentino possumus respuere gratiam, & illi resistere si velimus, & hoc velle possumus*, Negant. *& non possumus hoc velle*, Concedunt.

Contrà. Verba Concilij non sunt trahenda in sensum improprium; atqui allatus est huiusmodi: ergo non est verus & proprius.

Minor pr. Ille sensus est improprius secundum

quem dicimur aliquid posse, quod potiùs debemus dici non posse;atqui allatus est huiusmodi: ergo est improprius.

Maior pr. Quotiescumque non possumus aliquid secundum se, & impossibilis est etiam nobis conditio, sub qua dicimur id posse, debemus potiùs dici id non posse; atqui non possumus respuere gratiam per aduersarios, & volitio etiam, sub qua tanquam conditione volunt nos id posse est etiam nobis impossibilis: ergo debemus potiùs dici non posse illam respuere, quàm posse.

Maior pr. Ideo hæc propositio, & similes, Deus potest peccare si velit, reijcitur à Sancto Thoma, & Theologis, quia & quod asseritur per illam, & conditio sub qua asseritur sunt Deo impossibilia: ergo quotiescumque non possumus aliquid secùndum se, & impossibilis est etiam conditio, sub qua dicimur id posse, debemus potiùs dici id non posse.

Respondebunt fortè: *Ideo hæc propositio, Deus potest peccare si velit, reiicitur, quia id, quod asseritur per illam, & conditio, sub qua asseritur, sunt Deo impossibilia nunc, & semper talia fuere*, Concedo. *Conditio fuit aliquando possibilis*, Nego. ergo *quotiescumque non possumus aliquid secundum se, & impossibilis est etiam conditio, & semper fuit, sub qua dicimur id posse, debemus potiùs dici id non posse*, Concedo. *si illa conditio fuerit nobis possibilis*, Nego.

Contrà. Quando conceditur tantùm nobis posse vnum posito alio, & dependenter ab illo, in tantum duntaxat possumus primum, in quantum possumus secundum: ergo si non possumus

hoc secundum, non debemus ratione illius dici posse primum.

Respondebunt fortè: Ergo *si non possumus, neque potuimus primum, non possumus secundum*, Concedo. *si potuimus primum licet iam illud nostra culpa non possimus, non possumus absolutè secundum*, Nego. *Impossibilitas enim illa nostra culpa inducta non est impossibilitas absoluta, sed potiùs, quandoquidem dependet à nobis vera possibilitas.*

Contrà. Posse, & possumus iuxta communem acceptionem (secundùm quam debent sumi verba Concilij vt potè doctrinalia, & eatenus aliena ab omni ambiguitate) non tribui solent, nec debent dependenter à conditione impossibili quantumuis fuerit aliàs possibilis, & licèt hoc daretur, verba Concilij Tridentini non debent intelligi in eo sensu: ergo nulla solutio.

Secunda pars antecedentis probatur, prima enim clara est.

Sensus verborum Concilij debet dici is, primò secundùm quem, *potest si velit*, intelligitur cùm agitur de aliis comprincipiis actuum voluntatis: secundò, qui sit idem cum eo verborum Concilij Senonensis, & Coloniensis ad eosdem errores damnandos collectorum: tertiò quem Patrum Tridentinorum præcipui, eorumdem propugnatores primi, ipsorúmque hostes, & impugnatores Caluinus, huius, & Lutheri discipuli quique nominatissimi Dordrectanáque Synodus conuenêre fuisse: quartò, secundùm quem meliùs sentimus de Dei bonitate, eius iustitia, Christi meritis & nostris prouidetur certiùs fugæ, & odio vitiorum, prosecutioni virtutum, & amori Dei;

atqui secundùm sensum allatum, primò *potest si velit* non intelligitur, cùm agitur de aliis comprincipiis actuum voluntatis: secundò ille non est idem cum eo verborum Concilii Senonensis, & Colnoiensis ad eosdem errores damnandos collectorum; nec tertiò cum eo, quem Patrum Tridentinorum præcipui, eorumdem primi propugnatores, ipsorumque hostes,& impugnatores, Caluinus scilicet, huius, & Lutheri discipuli quique nominatissimi, Dordrectanáque Synodus conuenêre fuisse: quartò, secundùm quem meliùs sentimus de Dei bonitate, & eius iustitia, meritis Christi & nostris, & per quem prouidetur certiùs fugæ, & odio vitiorum, prosecutioni virtutum, & amori Dei: ergo verba Concilij non debent intelligi in eo sensu.

Prima pars minoris probatur.

Habitus, & concursus Dei generalis sunt alia comprincipia actuum voluntatis; atqui *potest si velit* iis applicatum nihil aliud significat, quàm voluntatem iis vti posse, aut non posse ad nutum, & arbitrium:ergo secundùm allatum sensum non intelligitur *potest si velit* cùm agitur de aliis comprincipijs actuum voluntatis.

Secunda & tertia pars minoris superioris argumenti probatur.

Concilium Senonense habitum anno 1528. decreto fidei 15. definit, *Tale non esse Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*: Coloniense coactum anno 1536. in Enchiridio Doctrinæ Christianæ, vbi de Sacramento pœnitentiæ: *Retinendum esse*, ait, *situm esse in hominis voluntate, vt gratiam Dei oblatam vel accipiat, vel repudiet*: Idem asse-

runt Stanislaus Hosius Legatus Apostolicæ Sedis in Concilio Tridentino libro de sectis, & hæresibus sui temporis: Alphonsus Salmero Pontificis summi Theologus in eodem Concilio tom. 7. pag. 58. & seq. tract. 7. Dominicus Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 15. de libero arbitrio; Andreas Vega, libro primo de iustificatione cap. 13. Franciscus Horantius, qui sicut duo præcedentes interfuit Concilio Tridentino, idem confirmat lib. 1. de septem locis Catholicis contra Caluinum, qui in Antidoto Concilij ad sess. 6. fatetur Tridentinos Patres velle, *nostræ esse electionis gratiam oblatam admittere, vel non admittere*, & impugnat illam Concilii definitionem iis S. Augustini locis, & eodem modo intellectis, & explicatis, quo explicantur à contrarium sentientibus: Caluino consentiens Dordrectana Synodus, *Affirmamus*, ait pag. 735 *quòd Deus voluntatem hominis gratia sua mouet, non vt Pontificij tradunt, vt nostra sit electionis motioni obtemperare, aut refragari, sed vt illam efficaciter ad obsequendum flectat.* Scharpius libro de libero arbitrio cap. 3. postquam proposuit an homo per præuenientem gratiam excitatus, & à Deo adiutus, ita valeat operari vt possit etiam nō operari, ait, *Affirmatiuam partem tuetur Bellarminus, Concilium Tridentinum sess. 6.* &c. adiungit deinde, *nos verò dicimus in homine post lapsum*, &c. *Deum ita efficaciter voluntatem flectere, vt hominis voluntas Deum conuersionem hominis volentem & operantem non sequi non possit*: ergo sensus allatus non est idem cum eo verborum Concilii Senonensis, & Coloniensis, neque cum eo,

quem Patrum Tridentinorum præcipui, eorundem primi propugnatores, & eorum hostes Caluinus, huius, & Lutheri discipuli quoque nominatissimi, Dordrectanáque Synodus conuenêre fuisse, & quidem centum circiter annis ante eas, quæ nunc agitantur quæstiones de intelligentia illorum verborum.

Respondebunt fortè: *Concilia Senonense, & Coloniense, & præcipui Patrum Tridentinorum asserunt Dei trahentis auxilio resisti posse, & voluntatem posse accipere, vel repudiare oblatam gratiam incompletè & dimidiatè sumptam secundùm alteram sui partem, eam scilicet, quæ se tenet ex parte intellectus, & dicitur illuminatio, illustratio, inspiratio*, Concedo. *completè sumptam, & secundùm non solùm illuminationem, sed etiam eam, quæ se tenet ex parte voluntatis quam tam suauiter afficit*, Nego.

Contrà primò. Gratia, quæ se tenet ex parte intellectus est gratia completè sumpta: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Gratia quæ se tenet ex parte intellectus est inspiratio, illustratio, illuminatio; atqui inspiratio, illuminatio, & illustratio sunt gratia completè sumpta: ergo etiam ea, quæ se tenet ex parte intellectus.

Minor pr. Gratia quæ potest inferre consensum est gratia completè sumpta; atqui inspiratio, illuminatio, & illustratio possunt inferre consensum: ergo sunt gratia completè sumpta.

Minor pr. Acceptio, & admissio gratiæ est consensus; atqui ex Concilio Coloniensi, liberum est impio præueniente se diuinæ illuminationis

gratia à peccato resurgendi eam accipere, vel non accipere: ergo illuminatio, inspiratio, &c. possunt inferre consensum.

Et consequenter frustra requiritur alia gratia in voluntate, præsertim si supponamus, vt est valdè probabile, actum intellectus concurrere ad illos voluntatis, & aliunde aduertamus primò dari quidem in intellectu lumen gloriæ ad videndum Deum, in voluntate verò nihil planè de nouo ad eum amandum.

Obseruemus secundò Sapientem nihil aliud carpere in peccatore, quàm defectum scientiæ, & illuminationis, cum dicit *omnis peccans ignorans.* Tertiò experiamur in rebus naturalibus nihil aliud esse necessarium ad mouendam voluntatem ad id etiam, ad quod valdè repugnabat, quàm illustrari intellectum noua cognitione clariori, & fortiori maius bonum repræsentante, & si daretur aliquid aliud in rebus supernaturalibus ad afficiendam voluntatem erga aliquod obiectum, quàm cognitio clarior, & fortior, debilis valdè cognitio, & obscura cum intensiori motione in voluntate eam vehementer primò moueret contra experientiam, qua constat obiecta, quæ ardenter amamus, perfectiùs etiam, & clariùs cognosci à nobis. Secundò non esset necessarium petere, vt adaugeretur in nobis fides, sed tantùm illa motio in voluntate. Tertiò non assereret Sapiens *: memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Nec diceret Christus *si cognouisses & tu* de Ierusalem. Dicere enim debuisset potiùs, si excitata fuisset motio in tua voluntate, &c. & Sapiens, excita in te motionem voluntatis amantis, vel odio habentis nouissima.

Nec refert quòd possent dicere Christum, Sapientem,&c. mentionem facere tantùm de cognitione, quia ex hoc sequitur voluntatis motio, & suauis illa delectatio. Hæc enim responsio probat illuminationem & inspirationem habere omnia necessaria ad inferendum consensum voluntatis, quandoquidem ex ipsa sequitur delectatio illa suauis, quam requirunt præter illuminationem hi, contra quos argumentamur, qui vt suadeant illam oriri non tantùm à cognitione boni sensibilis naturalis, sed etiam bonorum spiritalium, contendunt repræsentationi boni spiritalis, respondere aliam in imaginatione boni cuiusdam sensibilis proportionati, quæ in appetitu excitat affectum materialem, & hic per sympathiam, & propter connexionem operationum appetitus sensitiui, & rationalis in isto suauem delectationem similem.

Addi tandem potest non videri, cur non satis si in natura lapsa ad excitandum in voluntate motum indeliberatum complacentiæ,& consequenter ad hunc deliberatum circa obiectum bonum, illustratio supernaturalis in intellectu de eius bonitate. Cùm enim hæc repræsentari possit, & sæpè repræsentetur sine difficultate, hanc siquidem non repræsentat illa cognitio supernaturalis, & non est ratio cur ponitur alia naturalis quæ sit huiusmodi repræsentatio, nihil est quod impedire possit voluntatem ne afficiatur circa obiectum, quod non apparet ei nisi bonum. A quo enim prohiberetur ne hoc faceret? non primò à propensione in bonum sensibile. Nullum enim tale repræsentatur, & licèt repræsentaretur posset non ha-

bere, incompossibilitatem cum eo, quod repræsentatur per illustrationem supernaturalem; nec secundò defectu virium ad amandum vtrumque. Sufficientes enim sunt in voluntate. Nec dicas per peccatum originis debilitatam esse adeo voluntatem, & ita illam frænare concupiscentiam, vt sine subsidio, & corroboratione gratiæ, & delectationis cœlestis assurgere non possit ad affectum boni spiritalis. Habet enim easdem vires intrinsecas, ac in natura pura, in qua hoc posset, & extrinsecas etiam in casu posito. Non rebellat enim actu, & de facto appetitus sensitiuus, dæmones etiam non agunt. Imò magis illustratur intellect⁹, quàm in natura pura, atque adeo cùm robur, quod habet voluntas proueniat à cognitione, & maius sine dubio, aut saltem æquale à supernaturali, quam à naturali, negari non debet voluntatē amare posse bonum spiritale sine alio subsidio, & corroboratione; & consequenter præter illustrationem intellectus non esse necessariam aliam gratiam in voluntate.

Si cui tamen hic modus respondendi minùs placeat, vel quod dici soleat in rebus naturalibus cognoscendum esse, vt amemus, in rebus verò spiritalibus & diuinis amandum esse vt cognoscamus, quo fit vt ardor affectus non dici debeat oriri à cognitione, sed huius intensio, & claritas ab amore vehementi; vel quod D. Augustinus insinuare videatur variis locis in libris de correptione, & gratia, & de dono perseuerantiæ, præter illuminationem intellectus dari præterea in voluntate eam quam vocat suauem delectationem.

Vrgere potest distinctionem suprà factam de gratia complete, & incomplete sumpta sequenti argumento.

Gratia de qua loquuntur Concilia Senonense, Coloniense, atque etiam Tridentinum cap. 5. sess. 6. & Theologi, qui illi interfuere, includit totum quod dicit gratia ex parte intellectus, & voluntatis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Gratia, de qua loquuntur Concilia relata, & Theologi, est primò illa eadem quam intelligebant hæretici, Lutherus, Caluinus, & horum discipuli, cum quibus de illa erat dissidium: secundò dicitur à primo ex illis Conciliis *auxilium Dei trahentis*, & ab vltimo *Deum tangere per illam cor hominis*; atqui gratia, quam intelligebant hæretici, Lutherus, Caluinus, & discipuli vtriusque, cum quibus de illa erat dissidium, & quæ vocatur *auxilium Dei trahens, & tangens cor hominis*, includit totum, quod dicit gratia ex parte intellectus, & voluntatis: ergo gratia de qua loquuntur Concilia relata, & Theologi includit totum, quod dicit gratia ex parte intellectus, & voluntatis.

Secunda pars minoris probatur primò.

Auxilium trahens voluntatem, & per quod Deus tangit cor, hoc est, ipsam voluntatem ex modo loquendi Scripturæ, includit omnia necessaria ad tractionem voluntatis; atqui necessaria per aduersarios sunt non tantùm ea, quæ dicit gratia ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis: ergo auxilium Dei trahens, & per quod Deus tangit cor hominis, includit quidquid dicit gratia ex parte intellectus, & ex parte voluntatis.

Maior pr. Auxilium Dei trahens sumi potest vel in actu primo, vel in actu secundo; atqui vtroque modo includit omnia necessaria ad ponendam tractionem voluntatis: ergo falsum est ea non includere.

Minor probatur. Tractio voluntatis est quid constitutiuum trahentis in actu secundo, & nihil supponit medium inter ipsam, & trahens in actu primo: ergo trahens in actu primo, & in actu secundo, includit omnia necessaria ad ponendam tractionem voluntatis.

Prima pars minoris superioris argumenti, gratiam scilicet, quam intelligebant hæretici, & de qua illis cum Tridentino, & Catholicis, quos Pontificios vocant erat dissidium includere quidquid ipsa dicit ex parte intellectus, & voluntatis, probatur secundò.

Gratia quam intelligebant hæretici relati inferebat consensum; atqui quæ infert consensum habet quidquid includit gratia ex parte intellectus, & voluntatis: ergo negari non debet gratiam id totum includere.

Maior pr. Nullam aliam agnoscunt præterquàm inferentem consensum, vt patet ex omnibus eorum libris: ergo gratia quam intelligebant inferebat consensum.

Quarta pars minoris superioris argumenti, secundùm sensum allatum nos non tam benè sentire de Dei bonitate, & iustitia, meritis Christi, & nostris, probatur.

Melius sentimus de bonitate Dei, & eius iustitia meritis Christi, & nostris cum fatemur Deum velle omnes, & singulos homines saluos facere,

ſubminiſtrare omnibus, & ſingulis neceſſaria ad conſequendam ſalutem, neminémque damnare, qui oblatam gratiam non repudiarit, neque ſaluare, qui eam non admiſerit, tunc cùm poterat eam repudiare; quàm cùm contendimus Deum nolle ſaluare quam plurimos, pro iis Chriſtum non eſſe mortuum, iiſque deeſſe neceſſaria ad benè viuendum; aliis verò, quos Deus vult ſaluos facere dare gloriam non propter vlla ſua merita, & quod contulerint aliquid de ſuo ad obſequium Dei, & cui debeatur præmium; ſed quia ita Deo placet; atqui qui volunt ſenſum allatum eſſe illum verborum Concilij, dicunt ſecundum, non verò primum: ergo ſenſus allatus non eſt is, per quem meliùs ſentimus de bonitate Dei, & eius iuſtitia, meritis Chriſti, & noſtris.

Maior pr. Meliùs ſentimus primò de Dei bonitate, ſi effectus ab ipſa prouenientes extendamus ad plures, quam ad pauciores. Secundò de eius iuſtitia ſi tueamur per eam tãtùm puniri peccata propria actualia, à quibus liberum eſt abſtinere, quam ſi concedamus per eam puniri peccata originis, vel à quibus non eſt liberum abſtinere. Tertiò, de meritis Chriſti, cùm admittimus ea obtinuiſſe pro omnibus auxilia neceſſaria ad ſalutem, quàm ſi dicamus ea obtinuiſſe tantùm pro aliquibus. Quartò de meritis noſtris ſi aſſeramus huiuſmodi aliqua eſſe in nobis, quàm ſi negemus ea eſſe vlla planè: atqui qui admittit Deum velle omnes, & ſingulos homines ſaluos facere, ſubminiſtrare omnibus, & ſingulis neceſſaria ad ſalutem, neminem velle damnare, qui oblatam gratiam non reſpuerit, neque ſaluare, qui

eandem non admiserit tunc, cum poterat eam repudiare, extendit ad plures effectus bonitatem Dei: non cogitur secundò admittere Deum punire alia peccata, quam propria actualia, à quibus liberum est abstinere: nec tertiò Christi merita non obtinuisse omnibus necessaria ad salutem: nec quartò contra Tridentini can. 32. sess. 6. nos nihil propriè mereri, aut facere quidquã cui debeatur præmium: ergo meliùs sentimus de Dei bonitate, eius iustitia, meritis Christi, & nostris, cùm admittimus Deum velle omnes, & singulos homines saluos facere, subministrare omnibus, & singulis necessaria ad salutem, neminem velle damnare, qui oblatam gratiam non respuerit, neque saluare, qui eandem non admiserit tunc, cùm poterat eam repudiare, quàm cùm contendimus Deum nolle saluare quàm plurimos, pro iis Christum non esse mortuum, iisque deesse necessaria ad benè viuendum; aliis verò, quos Deus vult saluos facere dare gloriam, non propter vlla sua merita, & quod contulerint aliquid de suo ad obsequium Dei, & cui debeatur præmium, sed quia ita Deo placet.

Vltima pars minoris superioris argumenti probatur.

Per id non prouidetur certius fugæ, & odio vitiorum, & amori Dei & virtutum, per quod non ingenerantur nobis persuasiones addicentes nos sollicitiùs studio vitandi vitia, & procurandi virtutes; atqui per sensum allatum non ingenerantur nobis huiusmodi persuasiones; ergo sensus allatus non est is, per quem prouidetur certiùs fugæ, & odio vitiorum, & amori Dei, & virtutum.

Minor probatur. Per illud non ingenerantur nobis huiusmodi persuasiones, per quod suadetur nobis inutilem esse nostram omnem sollicitudinem, & ad fugam vitiorum, & ad amorem virtutum; atqui per sensum allatum suadetur nobis inutilem esse omnem nostram sollicitudinem, & ad fugam vitiorum, & ad amorem virtutum: ergo per sensum allatum nec ingenerantur in nobis persuasiones addicentes nos sollicitiùs studio fugiendi vitia, & procurandi virtutes in nobis.

Minor probatur. Per illud suadetur nobis inutilem esse nostram sollicitudinem vitandi vitia, & procurandi virtutes, per quod suadetur nobis impossibilem esse aliquibus mandatorum obseruationem, & ab aliis non posse non præstari, seu gratiam diuinam ad benè agendum multis non dari, & quibus datur ea non posse non vti; atqui per sensum allatum suadetur nobis impossibilem esse aliquibus obseruationem mandatorum, & ab aliis non posse non præstari, seu gratiam diuinam ad bene agendum multis non dari, & eos, quibus datur ea non posse non vti: ergo per sensum allatum suadetur nobis inutilem esse omnem nostram sollicitudinem, & ad fugam vitiorum, & ad amorem virtutum.

Maior pr. Inutilis est nostra sollicitudo circa ea, quæ cognoscimus esse nobis impossibilia, aut non posse aliter se habere: ergo per illud suadetur nobis inutilem esse nostram sollicitudinem, & studium vitandi vitia, & procurandi virtutes, per quod suadetur nobis impossibilem esse multis obseruationem mandatorum, & ab aliis non posse non præstari, seu gratiam diuinam ad benè

agendum multis non dari, & ij quibus datur non posse.

Respondent primò ad secundam partem antecedentis. *Inutilis est nostra sollicitudo circa ea, quæ cognoscimus non posse aliter se habere, si ea quæ pendent à nobis non inseruiant, & sint media vt eueniant, quæ non possunt aliter se habere*, Concedo. *si inseruiant, & sint media*, Nego.

Contrà. Siue media illa ad ea, quæ aliter se habere non possunt sint ipsamet necessaria, vel non necessaria inutilis est nostra sollicitudo circa illa: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Circa media necessaria nihil potest nostrum studium, & cura, & media eorum, quæ non possunt aliter se habere, non possunt non esse necessaria: ergo siue media ad ea, quæ non possunt aliter se habere sint necessaria, vel non necessaria inutilis est nostra sollicitudo circa illa.

Prima pars antecedentis clara est, & secunda probatur.

Effectus, aut quasi effectus necessarius, non sequitur ex causa non necessaria; atqui media sunt causa, aut quasi causa eius, ad quod sunt media: ergo media rei necessariæ, & quæ non potest aliter se habere, debent esse necessaria.

Respondent secundò ad minorem argumenti superius facti: Atqui *per sensum allatum suadetur nobis obseruationem mandatorum diuinorum ab aliquibus posse non præstari, & aliis esse impossibilem secundùm actionem externam; atque etiam internam ex motiuo gehennæ, & ad ipsam vitandam, aut aliquo alio simili*, Nego. *ex motiuo proprio amoris Dei & charitatis*, Concedo. *& deinde ad*

consequens : ergo *per sensum allatum suadetur nobis inutilem esse nostram omnem sollicitudinem vitandi vitia, & procurandi virtutes secundùm id, quod est in illis externum, aut etiam internum* ex *motiuo gehennæ, aut alio simili*, Nego. *ex motiuo proprio amoris Dei, & charitatis,* Conc: do. *Volunt enim actiones externas virtutum, & vitiorum atque etiam internas habentes motiuum gehennæ, aut aliud diuersum à motiuo charitatis esse nobis liberas, & in nostra potestate, ita vt ad nutum possimus eas ponere, vel non ponere, tuncque tantùm fieri necessarias, & eripi nobis in illas dominium, cum eliciuntur ex motiuo charitatis, ad quod necessaria est verè gratia Christi, de cuius ratione dicunt esse, vt inferat necessariò actum, & consensum nostræ voluntatis.*

Contrà primò. Obseruatio externa mandatorum Dei, aut interna ex alio motiuo, quàm veræ charitatis non potest haberi solis naturæ viribus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Obseruatio mandatorum Dei ex motiuo, seu intuitu æternæ beatitudinis, aut alio simili est bona: ergo non potest haberi solis naturæ viribus.

Antecedens probatur. Actio facta ex intuitu beatitudinis æternæ ex Canone 31. sess. 6. Concilij Tridentini non est peccatum, & per illam qui operatur benè operatur: ergo obseruatio mandatorum Dei ex motiuo, seu intuitu æternæ beatitudinis, aut alio simili est bona.

Respondent: Ergo *obseruatio mandatorum Dei ex motiuo seu intuitu æternæ beatitudinis, aut alio simili est bona bonitate præcipua,* Nego. *boni:*

tate alia qualicumque, Concedo.

Contrà. Diuina gratia est necessaria ad obseruationem mandatorum Dei bonam bonitate qualicunque, seu alia, quàm ea, quæ desumitur ex motiuo charitatis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Sententia negans obseruationem diuinorum mandatorum ex alio motiuo, quàm charitatis, egere diuina gratia, detrahit multum gratiæ; ergo diuina gratia requiritur ad obseruationem mandatorum diuinorum bonam quacumque bonitate.

Antecedens probatur. Illa sententia detrahit multum gratiæ, quæ ostentans se plurimum velle illi tribuere, minùs illi tribuit, quàm contraria; atqui sententia negans obseruationem diuinorum mandatorum ex alio motiuo, quàm charitatis egere diuina gratia per Christum minùs tribuit gratiæ illi per Christum, quàm contraria: ergo detrahit multum gratiæ.

Minor probatur. Tribuit tantùm illi actiones ex motiuo charitatis; atqui contraria tribuit illi & has, & alias ex motiuo aliarum virtutum, quæ sunt longè plures: ergo sententia negans obseruationem diuinorum mandatorum ex alio motiuo, quàm charitatis egere diuina gratia minùs tribuit gratiæ per Christum, quàm contraria.

Contrà secundò. Ex concessis inutilis est nostra sollicitudo circa actus, qui fiunt ex vera gratia Christi; atqui obseruatio mandatorum ex motiuo gehennæ, aut alio simili est ex vera gratia Christi: ergo etiam circa illam inutilis est nostra sollicitudo.

Minor probatur. Attritio, seu dolor de peccatis ex metu gehennæ est ex vera gratia Christi: ergo & obseruatio mandatorum, licèt sit ex eodem metu.

Antecedens pr. Actus boni, & honesti sunt ex vera gratia Christi: atqui attritio, seu dolor de peccatis ex metu gehennæ est actus bonus, & honestus: ergo est ex vera gratia Christi.

Minor probatur. Debet esse per auctores contra sentientes actus bonus, & honestus, vel peccatum; atqui non est peccatum ex Tridentino sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus peccatum esse, anathema sit*: ergo est bonus, & honestus.

Respondent: *Debet esse bonus, & honestus honestate necessaria ad salutem, vel peccatum*, Nego. *honestate alia quacunque, qua secernatur à turpitudine*, Concedo. *& concessa minori: ergo est bonus, & honestus honestate necessaria ad salutem*, Nego. *honestate alia qualicunque secernente eum à turpitudine, & macula peccati*, Concedo.

Contrà. Honestas actus attritionis non potest haberi solis naturæ viribus: ergo est necessaria ad salutem.

Antecedens pr. Difficilior est obtentio honestatis actus attritionis, quàm illius, quæ est in desiderio credendi, & obtinendi iustitiam, & ipsa fide; atqui ea, quæ est in desiderio credendi, & obtinendi iustitiam, ipsáque fide, haberi non potest solis naturæ viribus: ergo neque alia.

Probatur primò minor.

Damnati sunt Semipelagiani à Synodo Arausicana 2. cap. 5. *definiente sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, per gratiæ donum fieri*, quod ad desiderium credendi, & obtinendi iustitiam, ipsamque fidem negarent esse necessariam veram gratiam Christi: ergo honestas desiderij credendi non potest haberi naturæ viribus.

Probatur secundò maior præcedentis argumenti.

Difficilius est auocare voluntatem à voluptate proposita vt fit per attritionem, quam illam excitare ad affectum bonitatis repræsentatæ in eo, quod est velle credere Deo, & obtinere iustitiam, quod præstatur per desiderium credendi, & obtinendi iustitiam: ergo difficilior est obtentio honestatis primi actus, quàm aliorum.

Antecedens pr. Auocatio voluntatis à voluptate proposita supponit desiderium credendi & obtinendi iustitiam: ergo difficilius est illam auocare à voluptate proposita vt fit per attritionem, quàm illam excitare ad affectum bonitatis repræsentatæ in eo, quod est velle credere, & obtinere iustitiam.

Facilius profectò est affici erga bonum quod denouo innotescit, quàm deserere, & horrere, quod multum placuerat propter bonitatem, quam etiam tunc cùm deseritur habet, vt fit in odio voluptatis per attritionem.

Respondebunt fortè: Ergo *difficilius est auocare voluntatem à voluptate proposita, vt fit per attritionem, quàm eam afficere erga bonitatem credendi*

ex motiuo charitatis, Nego. *ex alio motiuo*, Concedo.

Contrà. Desiderium credendi,& actus ipse credendi requirunt veram gratiam Christi, sicut & attritio, licet non fiant ex motiuo charitatis: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quod fit per illuminationem Spiritus Sancti, est dispositio ad iustificationem, & pars Sacramenti pœnitentiæ fit ex vera gratia Christi; atqui ex Tridentino attritio habet tres illas conditiones, & desiderium,& actus credendi duas primas etiamsi non fiant ex motiuo charitatis: ergo eiamsi non fiant ex motiuo charitatis requirunt vt fiant, veram gratiam Christi.

Minor probatur. Per peccatum mortale cessant actus in peccatore, qui fiunt ex motiuo charitatis; atqui ex Concilio Tridentino non cessant desiderium, & actus credendi:ergo fiunt per illuminationem Spiritus Sancti,& sunt dispositio ad iustificationem.

Minor pr. Verba Canon. 28. sess. 61. Concilij Tridentini sunt. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viua, aut eum, qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit*; atqui ex illis clarum est desiderium, & actum credendi non cessare in peccatore & priuato gratia & charitate: ergo falsum est in eo cessare.

Obiicies. Omne quod est immune à coactione est liberum, & nihil aliud: ergo libertas est immunitas à coactione.

Antecedens pr. Omne voluntarium est liberum,

& nihil aliud; atqui omne voluntarium est immune à coactione: ergo quod est immune à coactione est liberum, & nihil aliud.

Maior pr. Ex voluntariis illud tantùm negari potest esse liberum, quod est determinatum ad vnum, & necessarium; atqui istud est verè liberum: ergo & omne voluntarium.

Minor pr. Dæmones, & damnati sunt determinati, & necessitati ad peccandum; atqui peccata ipsorum sunt libera: ergo quod est determinatum ad vnum, & necessarium est liberum.

Solutio: *Dæmones, & damnati sunt determinati & necessitati ad peccandum in genere, & quoad specificationem,* transeat. *in particulari, & quoad exercitium,* Nego. *& concessa minori:* ergo *quod est determinatum ad vnum, & necessarium in genere, & quoad specificationem tantùm est liberum,* Concedo. *determinatum hoc modo, & etiam quoad exercitium, & in particulari,* Nego. *Tunc enim nulla superest indifferentia, in qua possit constitui libertas, seu potentia faciendi, & non faciendi.*

Contrà. Beati sunt determinati ad amandum Deum non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium; atqui amant Deum liberè: ergo quod est determinatum, & necessarium quoad specificationem, & exercitium est liberum.

Solutio: *Beati sunt determinati, & necessitati non tantum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium ad amandum Deum eliciendo affectum circa eius summam bonitatem,* Concedo. *circa alia quæ non sunt eius infinita bonitas,* Nego

go

go. *Possunt enim illa velle, aut non velle, aut etiam velle diuersa ab ipsis, quæ possunt æquè conducere ad diuinam gloriam*; atqui *amant Deum liberè per affectum erga summam eius bonitatem*, Nego. *per affectum erga alia, quæ non sunt eius bonitas infinita*, Concedo.

Contrà. Affectus B. Virginis erga summam Dei bonitatem est idem in cœlo, ac erat in terra dum viueret; atqui dum in terra viuebat erat liber: ergo etiam & nunc.

Solutio: Atqui *dum in terra viuebat erat liber propterea, quod procedebat à potentia ad vtrumlibet*, Concedo. *propterea quòd fieret à principio determinato ad vnum vt nunc*, Nego. ergo *etiam, & nunc non procedens à potentia ad vtrumlibet est liber*, Nego. *si procederet ab huiusmodi potentia* Concedo.

Contrà. Vt affectus erga summam Dei bonitatem sit liber, non debet esse à potentia ad vtrumlibet: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Affectus iustitiæ, misericordiæ, & clementiæ in Deo sunt liberi; atqui non sunt à potentia ad vtrumlibet: ergo vt affectus erga summam Dei bonitatem sit liber, non debet esse à potentia ad vtrumlibet.

Minor pr. Affectus, qui non possunt non esse in Deo, non sunt à potentia ad vtrumlibet; atqui affectus iustitiæ, misericordiæ, &c. non possunt non esse in Deo: ergo non sunt à potentia ad vtrumlibet.

Minor pr. Illud non potest non esse in Deo, seu illud Deus non potest non esse, quod est natura sua; atqui ex D. Augustino Deus est natura sua

clemens,& iustus: ergo affectus iustitiæ, clementiæ, &c. non possunt non esse in Deo.

Solutio: Atqui *ex D. Augustino Deus est clemens, & iustus naturâ suâ, hoc est ita, vt non possit esse iniustus, & exercere vllum actum iniustitiæ, seu affici circa iniustitiam*, Concedo. *ita vt non possit abstinere ab actibus iustitiæ, quos exercet*, Nego. ergo *affectus iustitiæ*, &c. *non possunt non esse in Deo necessitate intellecta, quòd non possit affici circa iniustitiam*, Concedo. *necessitate intellecta, quòd non possit abstinere ab actibus iustitiæ, quos exercet*, Nego.

Contrà. Tam non potest abstinere ab actibus iustitiæ, quos exercet, quàm ab amore suæ bonitatis, & Pater, & Filius à productione Spiritus Sancti; atqui cessare non potest ab amore suæ bonitatis, neque Pater, & Filius à productione Spiritus Sancti: ergo abstinere non potest ab actibus iustitiæ, quos exercet.

Maior pr. Quod non habet plus indifferentiæ ad vnum, quàm ad aliud, tam non potest abstinere ab vno, quàm ab alio; atqui Deus non habet plus indifferentiæ ad actus iustitiæ, quos exercet, quàm ad amorem suæ bonitatis, & productionem Spiritus Sancti: ergo tam non potest abstinere ab actibus iustitiæ, quàm ab amore suæ bonitatis, & præductione Spiritus sancti.

Minor pr. Deus est æquè determinatus, fuit, & erit ad actus iustitiæ, quos exercet, atque ad amorem suæ bonitatis,& productionem Spiritus Sancti: ergo non habet plus indifferentiæ ad primos actus, quàm ad secundos.

Solutio: *Deus est æquè determinatus, fuit &*

erit ad actus iustitiæ, quos exercet, quàm ad amorem suæ bonitatis, & productionem Spiritus Sancti in actu secundo, transeat. *in actu primo*, Nego. ergo *non habet plus indifferentiæ ad primos actus, quàm ad secundos in actu primo*, Nego. *in actu secundo, esto.*

Contrà. Quod est determinatum ab æterno ad duo, æquè est determinatum ad vtrumque in actu primo; atqui Deus est determinatus ab æterno ad actus iustitiæ, quos exercet non minùs, quàm ad amorem suæ bonitatis: ergo tam est determinatus in actu primo ad primos, quàm ad secundos.

Solutio: *Quod est determinatum ab æterno ad duo, ita vt in priori naturæ potuerit vnum non ponere, & non aliud, est æquè determinatum ad vtrumque in actu primo*, Nego. *si in priori naturæ potuerit vtrumque non ponere*, Concedo. atqui *Deus est determinatus ab æterno ad actus iustitiæ non minùs, quàm ad amorem suæ bonitatis, & productionem Spiritus Sancti, & in priori naturæ potuit illos non ponere*, Concedo. *in priori naturæ potuit istos etiam non ponere*, Nego. *Determinatum in actu primo, seu actus primus determinatus ad secundum est ille, qui non potest abstinere ab isto, & ipsum non producere, vt se habet Deus respectu amoris suæ bonitatis, & productionis Spiritus Sancti. Indeterminatum verò in actu primo, seu actus primus indeterminatus dicitur ille, qui ita ponit secundum, vt possit non ponere, quomodo se habet Deus respectu actuum iustitiæ, neque enim in eo aliquid concipi potest, quod ipsum necessitet ad ipsos ponendos, sicut necessitatur ad pro-*

ductionem Spiritus Sancti.

Contrà. Necessitas productionis Spiritus Sancti, & determinatio ad illam in actu primo non impedit, quominus sit libera: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Quæ sunt in nostra potestate sunt libera; atqui necessitas productionis Spiritus Sancti, & determinatio ad illam non impedit, quominus sit in potestate Patris, & Filij: ergo neque quominus sit libera.

Minor pr. Quod est in voluntate nostra est in nostra potestate, ex D. Augustino passim, & sancto Thoma; atqui necessitas productionis Spiritus Sancti non impedit, quominus sit in voluntate Patris, & Filij: ergo neque quominus sit in eorum potestate.

Solutio: *Quod est in nostra voluntate vt voluntas est, seu liberum arbitrium est in nostra potestate,* Concedo. *vt est natura, seu agens eo modo, quo illa, quæ carent libero arbitrio,* Nego. atqui *necessitas productionis Spiritus Sancti impedit, quominus sit in Patris, & Filij voluntate, vt voluntas est, seu liberum arbitrium,* Nego. *vt est natura,* Concedo.

Contrà. Quod non cogimur velle, quod voluntate agimus, quod simpliciter dicimur velle est in nostra voluntate, vt voluntas est; atqui necessitas productionis Spiritus Sancti non impedit quominus Pater, & Filius dicantur non cogi, eam velle, voluntate illam agere, & simpliciter illam velle: ergo neque quominus sit in eorum potestate.

Solutio: *Quod non cogimur velle, neque propria,*

neque impropria coactione, quod dicimur simpliciter velle, & voluntate agimus indifferenti, & expedita à necessitate, & cuius sumus domini, est in nostra voluntate vt voluntas est, Concedo. *quod non cogimur velle propria coactione, quæ est à vi extrinseca, quod dicimur velle, & agere voluntate tantùm quacunque etiam illa, cuius non habemus dominium,* Nego. atqui *necessitas productionis Spiritus Sancti non impedit, quominus Pater, & Filius dicantur non cogi, propria coactione eam velle, similiter eam velle, & agere voluntate quacunque etiam illa, cuius non sumus domini,* Concedo. *non cogi impropria coactione eam velle, aut eam velle, & agere voluntate cuius non sumus domini,* Nego. *Certè si Pater, & Filius essent domini productionis Spiritus Sancti, essent & domini ipsius Spiritus Sancti, quod aduersarij non auderent admittere, nec consequenter dicere debent diuinam illam productionem esse in potestate suorum principiorum, seu voluntate, vt voluntas est, per quæ verba exprimitur modus ille agendi proprius voluntatis, per quem ita ponit suos actus, vt illos possit non ponere, quod aliis agentibus non conuenit: sunt enim omnia determinata ad vnum, vt videre est percurrenti illa. Istorum modus agendi dicitur esse à natura etiam ille voluntatis, qui est illis similis, cùm scilicet continere non potest suam actionē circa aliquod obiectū v. g. circa summum bonum. Cæterùm coactio propria est à vi extrinseca, impropria verò potest esse intrinseca, ea scilicet, quæ tollit indifferentiam ad agendum, & non agendum, & non est alia à necessitate simplici. In eo sensu D. Augustinus dicit contra Manichæos bonam, quam admittebant animam non*

posse cogi (hoc est necessitari à mala) & simul rea esse peccati. Nemo enim, vt sæpius inculcat, peccat in eo, quod vitare non potest.

Contrà. Necessitas productionis actuum bonorum naturæ lapsæ, à gratia medicinali est tanta, ac necessitas productionis Spiritus Sancti; atqui illa non impedit, quominus natura lapsa non dicatur cogi, coactione etiam impropria eam velle, eandem velle simpliciter, & agere voluntate cuius est domina: ergo neque ista.

Minor pr. Gratia medicinalis infert necessariò productionem actuum bonorum naturæ lapsæ: ergo necessitas productionis istorum actuum est tanta, ac illa productionis Spiritus Sancti.

Antecedens pr. Illa gratia infert necessario nostros actus, cuius natura est vt illa velimus; atqui de ratione, & natura gratiæ medicinalis, seu adiutorij quo ex D. Augustino est vt illis velimus: ergo gratia medicinalis infert necessario productionem actuum bonorum naturæ lapsæ.

Solutio: *Illa gratia infert necessariò nostros actus, de cuius ratione, & natura est vt illa velimus semper, & necessario*, Concedo. *non semper, nec necessariò*, Nego. atqui *ex D. Augustino de ratione, & natura gratiæ medicinalis, seu adiutorij quo est vt illis velimus semper, & necessariò*, Nego. *non semper, & non necessariò*, Concedo.

Contrà. Discrimen gratiæ sanitatis, seu adiutorij sine quo à gratia medicinali, & adiutorio quo ex D. Augustino est, quòd illa non inferat necessariò: ergo illos infert necessariò.

Antecedens pr. Gratia medicinalis eo modo infert nostros actus, quo necessarium est, vt verum sit omnipotentissimæ Dei voluntati nos non posse resistere; atqui vt hoc sit verum gratia medicinalis debet inferre necessariò nostros actus: ergo illos infert necessario.

Respondeo primò: *Hoc argumentum soluendum esse iis, qui eo vtuntur, si formetur contra ipsos de gratia sanitatis, & statu innocentiæ, in quo non magis, quàm nunc omnipotentissimæ Dei voluntati non poterat resisti.* Respondeo secundò: *Gratia medicinalis eo modo infert nostros actus, quò necessarium est, vt verum sit omnipotentissimæ Dei voluntati nos non posse resistere impotentia consequente, vel antecedente,* Concedo. *impotentia tantùm antecedente,* Nego. atqui *vt hoc sit verum gratia debet inferre nostros actus necessariò necessitate proportionata impotentiæ antecedenti, aut consequenti,* Concedo. *necessitate antecedenti,* Nego. *Alia enim scilicet consequens sufficit, vt non resistamus gratiæ, per quam Deus nos efficaciter vocat, aut trahit.*

Contrà. Gratia medicinalis infert nostros actus ex D. Augustino infallibiliter, ineluctabiliter & indeclinabiliter: ergo & necessariò necessitate antecedente.

Consequentia pr. Gratia inferens nostros actus infallibiliter, ineluctabiliter, indeclinabiliter nos discernit iuxta illud Apostoli, *quis est qui te discernit?* atqui non potest nos discernere non inferendo hos nostros actus necessario necessitate antecedente: ergo illos inferens infallibiliter infert etiam necessitate antecedente.

Respondeo primò, *soluendum esse argumentum auctoribus contrariæ sententiæ : Diuus enim Augustinus intelligit illud Apostoli de ipsis* Angelis, *in quibus tamen per ipsos nulla fuit gratia necessitans.* Respondeo secundò, *negando minorem.*

Contrà. Per gratiam non inferentem necessariò nostros actus necessitate antecedente benè operans nihil habet, quod non habeat non benè operans: ergo gratia illa non potest nos discernere.

Solutio : *Per gratiam non inferentem necessariò nostros actus, necessitate antecedente benè operans nihil habet in ratione entitatis, quod non habeat non bene operans,* Concedo. *potest enim huius gratia esse æqualis, aut etiam maior entitatiue, quàm sit illa bene operantis : nihil habet in ratione beneficij,* Nego. *datur enim ex maiori beneuolentia, & præuisione consensus per illam ponendi.*

Contrà. Gratia tantùm maior in ratione beneficij in benè operante facit, vt Deus partiatur cum illo bonum opus, nostram salutem, & consequentem inde felicitatem; atqui Deus non partitur cum benè operante bonum opus, nostram salutem, & consequentem inde felicitatem : ergo gratia benè operantis non est tantùm maior in ratione beneficij.

Solutio : *Gratia tantùm maior in ratione beneficij in bene operante facit, vt Deus partiatur cum illo bonum opus ex defectu virtutis, & insufficientia ponendi solam illam entitatem,* Nego. *sine huiusmodi defectu, & insufficientia, sed ad manifestationem, & commendationem suæ omnipotentiæ, & bonitatis volentis admittere in consortium suæ*

actionis creaturam rationalem, vt habeat vnde illam remuneretur, & amplius ei benefaciat, Concedo. atqui *Deus non partitur cum bene operante bonum opus primo modo*, Concedo. *secundo*, Nego.

Contrà. Deus partiens modo explicato bonum opus cum benè operante relinquit in huius potestate illius positionem; atqui benè operans non habet illam in sua potestate: ergo Deus non partitur cum illo bonum opus modo explicato.

Minor pr. Non oramus pro iis, quæ possumus, & sunt in nostra potestate; atqui oramus, & debemus orare pro positione operis boni: ergo benè operantes non habemus illam in nostra potestate.

Solutio: *Non oramus pro iis, quæ possumus, & sunt in nostra potestate cùm non est periculum ne vtamur illa potestate*, Concedo. *si sit periculum ne ea vtamur*, Nego. *Certe Adamus habebat in potestate volitionem non comestionis pomi, & tamen aduersarij non auderent negare illum non potuisse orare, vt illam poneret, & vtinam tam bene orasset, vt obtinuisset illam ponere;* atqui *oramus, & debemus orare pro positione operis boni, & non est periculum ne vtamur potestate illum ponendi*, Nego. *& est periculum*, Concedo. *Orationes nostræ sunt ad obtinendum, vt cesset periculum, & dubium de non vsu illius potestatis, quod tandiu durat, quandiu non est posita operatio.*

Atque ex dictis clarum est primò necessitatem non esse compossibilem cum libertate, húncque fuisse sensum Patrum, qui pugnauere contra Ma-

nichæos, & astrologos inferentes ex eorum placitis destrui libertatem, & statuentes, præcipuè D. Augustinus neminem peccare in eo, quod non potest vitare, & non esse peccatum id, vnde non est liberum abstinere, quod intellexisse de peccatis naturæ lapsæ, & non tantùm de illo primi hominis inde patet primò, quòd cùm illa distinctio maioris indifferentiæ primi peccati, quàm aliorum quam plurimis sit ignota, & à tot aliis negetur id, Sanctus Doctor dicat notum omnibus, & vbique lib. de duabus animabus cap. 11. *Nonne ista cantant*, inquit, *& in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

Secundò pugnet contra Manichæos, quantumuis admitterent ab initio in Adamo ignorantiam, & rebellionem concupiscentiæ, peccatum non esse, *vnde non est liberum abstinere*; quod nullam haberet vim contra ipsos si concupiscentia necessitaret ad peccandum.

Inferendum est secundò, auctores contrariæ sententiæ asserentes, quæ fiunt ex concupiscentia, & ignorantia iuris naturalis esse peccata, propterea quòd illa sint pœnæ primi peccati, quod infecit & ipsa, & quæ ex iis pullulant: fateri quoque debere primò, quæ phrenesi fiunt vt pote pœna peccati, ab ægrotis cum blasphemis vocibus decedentibus esse culpabilia, & addicentia illos pœnis æternis, quantumuis antea receperint sacramenta, & totam reliquam vitam sanctissimè traduxerint. Secundò motus indeliberatos concu-

piſcentiæ eſſe peccata, quòd proueniant à pœna peccati.

Inferri etiam debet tertiò ſi requiratur, vt vult contraria ſententia, vt voluntas exerat ſuos actus delectatio victrix, & illa poſita illos non poſſit non elicere; deambulationem, & cæteros actus naturales fore neceſſarios, procedere enim debebunt à ſimili delectatione.

Quartò, quemadmodum admittere debent aliquam delectationem terrenam, ſeu tentationem, qua ſine effectu, vt in D. Paulo cùm dicebat ſentio aliam legem, ita non negare poſſe aliquam delectationem cœleſtem, & adiutorium quo quod non ſortiatur effectum. Cùm autem S. Auguſtinus coniungit illud cum effectu, loquitur de eo, quod eſt efficax.

Quintò, quòd gratia, cuius neceſſitatem contra Pelagianos, & Semipelagianos fœliciter adeo propugnauit D. Auguſtinus, non ſit cenſenda ea, quæ ſemper, & neceſſario inferat conſenſum, & cui reſiſti non poſſit provt Lutherus, Caluinus, & vtriuſque diſcipuli contendunt, vel ex eo patet, quod nefarium planè ſit inducere ſanctiſſimum Doctorem id palam ſentientem & dicentem, quod apertè repugnat, & contrarium eſt veritatibus à Sancto Spiritu dictatis, in Eccleſia creditis, in Conciliis definitis, & quibus oppoſitas ſummi Pontifices abolendas ſæpius ſanciuerunt. Huiuſmodi autem eſſe gratiã neceſſario inferre conſenſum, & ei reſiſti non poſſe, nemini poteſt eſſe dubium, qui attendere voluerit primò Concilium Senonenſe decreto fidei 15. ſtatuere *tale non eſſe Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.*

Secundò Concilium Coloniense in Enchiridio de Sacramento pœnitentiæ, docere *situm esse in hominis voluntate vt gratiam Dei oblatam, vel accipiat, vel repudiet*, & ibidem paulò inferisū, *Deo præuenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare, vel negare consensum, velle, vel vel nolle pœnitere.*

Tandem eodem loci rationem reddens cur vnus vtatur gratia oblata, alter non vtatur, hanc esse fateri, quòd iste secundus *diuinæ gratiæ dexteram sedulò oblatam, ac nunquam subtractam apprehendere neglexit, & sic in peccatorum luto defixus remansit.*

Tertiò Concilium Trident. cap. 5. sess. 6. definire gratiam receptam abiici posse, dum ait, *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem inspirationem illam recipiens, eam abiicere potest*, & canone 4. eiusdem sessionis liberum hominis arbitrium ei *posse dissentire si velit*, & cap. 11. diligentes Christum seruare posse eius sermones, hoc est, mandata, cum diuino auxilio, & non *deserere ipsos, nisi priùs ab iis deseratur.*

Horum autem Conciliorum definitiones, & sententias latas esse contra gratiam necessariò inferentem consensum, & cui resisti non possit, dubitari ab eo non poterit, qui meminisse voluerit hæc tria Concilia congregata esse ad damnandum hunc, & alios errores Lutheri, & Caluini, & vtriusque discipulorum.

Cùm enim magnum esset dissidium inter Catholicos Doctores, & Lutherum, & Caluinum, & vtriusque discipulos, an gratiæ resisti posset? an non posset resisti? super hac controuersia Conci-

lium Tridentinum non debuit silere, nec potuit existimare non esse necesse illam definire. Tanto enim ardore de ea contendebatur, vt cogendum fuerit ad eam dirimendam tum in Gallia an. 1628. Conc. Senonense, quod in fauorem sanæ doctrinæ pronuntiauit, & statuit (vt diximus suprà) *Non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*: tum in Germania an. 1636. Colon. quod idem decreuit docens, *oblatam gratiam posse repudiari*, ac tandem, cùm istorum Conciliorum Prouincialium auctoritas non esset satis ad extirpandum hunc errorem, & alios eorundem hæreticorum, congreganda fuerit aliquot annis post ipsa œcumenica Synodus, quæ agitatas de gratia quæstiones definiret, & quid de iis sentiendum esset determinaret. Eam autem id præstasse nullus dubitare potest, si voluerit aduertere tribus primis canon. sess. 6. antiquas hæreses Pelagij, & Semipelagianorum de vera gratia Christi, non necessaria ad omne bonum opus, & ipsum actum credendi, & initium fidei damnasse, & quarto Lutheri, Caluini, & vtriusque discipulorum errorem de imposita voluntati per gratiam necessitate agendi id, ad quod datur, condemnasse verbis suprà relatis, ex eo fieri manifestum primò, quia si per *posse dissentire si velit* nihil aliud intellexisset, quàm dissentire si dissentiat, & assentire si assentiatur, non pronuntiasset super eo, de quo erat lis, & tota controuersia. Secundò, quia ipsi hæretici non dubitarunt hæc decreta, has definitiones continere damnationem eius, quod ipsi asserebant de gratia necessario inferente consensum, & verborum harum definitionum alium es-

se sensum nunquam dixere, sed conati sunt tantùm illum falsitatis arguere. Tertiò, quia Patres, & Doctores qui Concilio interfuere, & præfuere libris etiam editis, ipso nondum absoluto professi sunt hunc esse verum sensum verborum sanctæ Synodi. Quartò, quia cùm vera vocum significatio certiùs colligi non possit, quàm ex acceptione communi, & eo, quod per illas intelligunt tam qui loquuntur, quàm qui audiunt, & aliunde certò nobis constet Patres Concilij, per quorum os locutus est Deus, & ipsis, & nobis conuenisse cum aliis fidelibus, hæreticis etiam ipsis, & omnibus, ad quos hæ voces primò dirigebantur, per illas explicari Dei trahentis auxilio resisti posse, de facto resisti, & gratiam non inferre necessariò consensum nullo modo negari potest per ea verba id verè, & propriissimè significari, & esse intelligendum. Et verò quis ferre posset supremo iudice asserente sensum verborum, quibus vsus est in pronuntiatione sententiæ super lite inter Petrum, & Paulum, esse in fauorem primi, & ad ei concedendum, & adiudicandum quod contendebat deberi sibi à secundo, Petro non tantùm illud lubentissimè admittente, idem profitente, sed etiam Paulo idem fatente, alium quendam negare hanc esse eorum verborum significationem multis annis post. Certè licèt anteà illa verba potuissent hoc non significare, per illum tamen communem consensum iudicis loquentis, & Petri, & Pauli audientium imposita illis fuisset significatio, quam isti ex eorum prolatione percipiebant, & ille intendebat; ac proinde cùm sensus verborum Concilij super dissidio inter Ca-

tholicos Doctores, & Lutherum, & Caluinum asseratur esse à Patribus Concilij is, quem intendimus, Doctores Catholici tunc viuentes non alium intelligant, & hæretici ipsi illum ipsum esse fateantur, certo tenendum est ipsissimum esse, maximè cùm summi Pontifices, quibus solis reseruatum est ius declarandi sensum verborum Concilij illum eundem in tota Ecclesia prædicari voluerint, & iusserint, & etiamnum iubeant, & velint, propositionésque contrarium sensum continentes, aut insinuantes decreuerint, & decernere pergant *in perpetuum abolendas*, vt videre est in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. contra Michaëlem Baium, & Vrbani VIII. & Innocentij X. contra Iansenium Iprensem.

Obseruandum est sextò, cùm Lutherus, Caluinus, & vtriusque discipuli sensum eundem darent verbis, & textibus S. Augustini, ad suum stabiliendum errorem, quem volunt esse ij, qui eosdem textus afferunt contra nostram sententiam, Concilium damnando huiusmodi errorem, & ad illam damnationem vtendo verbis ipsis S. Augustini, vt cap. 11. sess. 6. *Deus impoßibilia non iubet: sed iubendo monet, & facere, quod poßis, & petere, quod non poßis, & adiuuat vt poßis*, desumptis ex cap. 43. lib. de natura, & gratia, clarissimè declarare sensum intentum ab hæreticis, & ab iis qui cum ipsis sentiunt esse falsum, & contra mentem tanti Doctoris, cuius interpres cùm voluerit esse Concilium, & declarauerit tanquam potestatem habens quo sensu loquutus sit, & intelligi debeat: alius eius verbis tribui non potest, sicut nec dici ea debere assumi ad interpretan-

dam mentem ipsius Concilij, cùm istud in eo elàborauerit, vt dubiis natis ex ipsius variis modis loquendi lucem afferret, & dubitationem omnem tolleret de vera eorum intelligentia, definiens res illas, ad quarum explicationem iis vsus fuerat D. Augustinus.

Non omittendum est septimò verba Conciliorum suprà relatorum *respuere*, *repudiare*, *abiicere*, *resistere*, *&* *descrere* significare apertè voluntatem habentem gratiam, & ea præuentam in sensu composito, & non tantùm diuiso, quod non negabat Caluinus, posse eam *repudiare*, *abiicere*, *&* *ei resistere*. Non enim repudiatur, respuitur, & abiicitur quod non habetur, neque resistimus ei quod nos nunc non sollicitat, & excitat. Resistit autem voluntas per dissensum quando sollicitatur ad consensum, aut per consensum quando sollicitatur ad dissensum.

SECVNDA CONCLVSIO:

Libertas non benè definitur voluntas vltimi sequax iudicij.

LIBERTAS non benè definitur per illud, quod cùm est, ipsa non est, & cùm non est, ipsa est; atqui cùm voluntas est sequax vltimi iudicij, libertas sæpè non est; & sæpè etiam cùm eadem libertas est, voluntas non est sequax vltimi iudicij: ergo libertas non benè definitur voluntas vltimi sequax iudicij.

Prima pars minoris probatur.

Vltimum iudicium ex mente auctorum istius

definitionis est illud, per quod proponitur assertiuè voluntati hoc obiectum esse ipsi optabilius, quàm oppositum, vacare v. g. recreationi quàm studio; atqui sæpè cùm est illud iudicium, non est libertas: ergo sæpè cùm voluntas est sequax vltimi iudicij, libertas non est.

Minor pr. In pueris antequam perueniant ad vsum rationis est illud iudicium; atqui in illis non est libertas: ergo sæpè cùm est illud iudicium non est libertas.

Maior pr. Illud iudicium est in illis, in quibus sunt actus voluntatis; atqui in pueris antequam perueniant ad vsum rationis sunt actus voluntatis: ergo illud iudicium debet etiam esse in illis.

Maior pr. Illud iudicium est necessarium, vt voluntas possit elicere suos actus, & ferri in obiectum: ergo debet esse in illis, in quibus sunt actus voluntatis.

Respondent: *Illud iudicium est necessarium, vt voluntas elicere posit suos actus, & ferri in obiectum liberè*, Concedo. *quomodocumque*, Nego.

Contrà. Illud iudicium est necessarium ex concessis vt voluntas elicere possit suos actus liberè; atqui in principiis auctorum contrariæ sententiæ omnes actus voluntatis sunt liberi: ergo illud iudicium necessarium est, vt voluntas elicere possit suos actus quoscunque, & quomodocunque.

Respondent: Atqui *omnes actus voluntatis dominæ sui, rationalis, consultæ, seu consequentis ad iudicium re, aut virtute consultatiuum sunt liberi*, Concedo. *omnes actus voluntatis non dominæ sui, non rationalis, non consultæ, seu conse-*

quentis ad iudicium re, aut virtute consultatiuum? Nego. *Per iudicium realiter consultatiuum intelligunt illud, quod præcessit deliberatio. Consultatiuum verò virtualiter, vocant illud, quod non præceditur quidem actu, & de facto à deliberatione, fit tamen per species relictas ab iis, quæ fuere priùs, & formata non sunt nisi post deliberationem habitam de eorum obiecto.*

Contra primò hanc distinctionem suppono Petrum, Paulum, & Ioannem sæpiùs habuisse iudicium realiter consultatiuum, & ex eo actum voluntatis, v. g. de præferenda recreatione studio, & in primo facto ebrio, secundo amente, & tertio dormiente, ex specie relicta ab huiusmodi repetito sæpiùs iudicio consultatiuo de præferenda recreatione studio elici simile iudicium, & quod inde sequi volunt necessario affectum voluntatis erga recreationem, *& sic argumentor:*

Actus voluntatis de præferenda recreatione studio, qui sunt in suppositione facta in Petro ebrio, Paulo amente, & Ioanne dormiente sunt actus voluntatis dominæ sui, rationalis, consultæ, & consequentis ad iudicium virtute consultatiuum; atqui illi non sunt liberi: ergo actus voluntatis dominæ sui, rationalis, consultæ, & consequentis ad iudicium virtute consultatiuum non sunt liberi.

Minor pr. Actus ebriorum, amentium, & dormientium non sunt liberi; atqui illi sunt actus ebriorum, amentium, & dormientium: ergo non sunt liberi.

Respondent: *Actus ebriorum, amentium, & dormientium non sunt liberi, omnes,* Concedo.

aliqui, Nego. *Amentes enim,* inquiunt, *habent lucida internalla, & ebrij, & dormientes multa agunt in quibus videntur esse sui verè compotes;* atqui *illi sunt actus ebriorum, amentium, & dormientium, de numero eorum qui non sunt liberi,* Nego. *de numero eorum, qui sunt liberi,* Concedo.

Contrà. Actus amentium qui dicuntur liberi à contraria sententia sunt maximè illi, qui sunt similes iis, quos sæpius exercebant extra amentiam, & cum erant sani; atqui illi non sunt liberi: ergo actus amentium vrgente amentia non sunt liberi.

Minor pr. Illi actus non sunt dicendi liberi qui non imputantur neque ad laudem, neque ad vituperium, & quibus leges, & legislator non decernunt neque pœnam, neque præmium; atqui actus amentium similes iis, quos exercebant cum erant sani mente, non imputantur ad laudem, neque vituperium, & legislator, & leges non decernunt illis præmium, aut pœnam: ergo non sunt liberi.

Minor pr. Nulla vnquam lex, aut legislator distinxit inter actus amentium similes prioribus factis ante amentiam, & non similes, sed semper omnes durante amentia excusauit à culpa, & is est omnium sapientum, & Ecclesiæ ipsius sensus: ergo actus amentium similes iis, quos exercebant ante amentiam non imputantur ad laudem, aut vituperium, & leges non decernunt illis præmium, aut pœnam.

Prima pars antecedentis dubia esse non potest scienti leges, & vt secunda probetur.

Suppono quod non raro contingit aliquem, qui sæpiùs blasphemarit incidere in morbum, & cùm de peccatis est ritè confessus, & vera edidit sinceræ detestationis eorum signa, incidere in phrenesim, & in phrenesi illa prolatis, vt fit, blasphemiis similibus prioribus mori, *& sic argumentor.*

Blasphemiæ prolatæ ab illo homine in phrenesi sunt similes prioribus, quas proferebat sanus; atqui sapientum omnium sensus, & Ecclesiæ excusat illas à culpa: ergo & actus amentium similes iis, quos habebant cùm erant sani mente.

Minor pr. Blasphemiæ excusantur à culpa cùm propter illas non censetur amitti salus æterna; atqui sapientum omnium sensus, & Ecclesiæ non censet propter illas hominem illum amisisse salutem æternam, etiamsi constet ipsi non pœnituisse de illis: ergo excusat illas à culpa.

Minor pr. Sapientum sensus, & Ecclesiæ non censet eum amisisse salutem æternam pro quo Ecclesia orat, & vult vt oremus; atqui Ecclesia orat, & vult vt oremus pro homine illo, qui in phrenesi prolatis blasphemiis similibus iis, quas proferebat sanus decessit: ergo sapientum sensus, & Ecclesiæ censet eum non amisisse salutem æternam.

Contra secundò distinctionem datam ad argumentum superius, quo probabatur omnes actus voluntatis esse liberos.

Omnes actus voluntatis verè voluntarij sunt etiam verè liberi; atqui omnes actus voluntatis etiam illi, qui dicuntur non rationales, & appellantur non consulti sunt verè voluntarij: ergo

etiam sunt verè liberi.

Respondent : *Omnes actus voluntatis verè voluntarij, & perfectè sunt etiam verè liberi*, Concedo. *imperfectè tantùm voluntarij*, Nego. atqui *omnes actus voluntatis sunt verè voluntarij, & perfectè*, Nego. *perfectè, vel imperfectè*, Concedo. *Per voluntarium perfectè intelligunt illud, quod fit à principio perfectè cognoscente omnes circunstantias actionis, & habente perfectam cognitionem, & iudicium perfectum. Imperfectè autem voluntarium volunt esse illud, quod non oritur à iudicio perfecto, seu formato post serium examen, & diligentem inspectionem eorum omnium, quæ facere possunt ad benè diiudicandum de obiecto.*

Contrà primò. Actus voluntatis imperfectè voluntarius modo explicato est verè liber: ergo nulla solutio.

Respondent : *Actus voluntatis imperfectè voluntarius modo explicato est verè liber perfectè*, Nego. *imperfectè*, Concedo.

Contrà. Actus puerorum ante vsum rationis, ebriorum, dementium, & dormientium sunt voluntarij modo explicato; atqui nullo modo sunt liberi: ergo actus modo explicato voluntarij non sunt etiam imperfectè liberi.

Minor pr. Actus, qui non sunt imputabiles vllo modo ad laudem, aut vituperium ex communi omnium sensu non sunt vllo modo liberi; atqui actus puerorum ante vsum rationis, ebriorum, dementium, & dormientium nullo modo sunt imputabiles ad laudem, aut vituperium, ex communi omnium sensu: ergo nullo modo sunt liberi.

Contrà secundò distinctionem ad antecedens superioris argumenti.

Actus voluntatis dominæ sui perfectè, est etiam perfectè liber; atqui omnis actus voluntatis est ipsius vt dominæ sui perfectè: ergo est etiam perfectè liber.

Minor pr. Voluntas domina sui perfectè est voluntas volens cùm vult, & nolens cùm non vult; atqui omnis actus voluntatis est ab ipsa volente cùm vult, & nolente cùm non vult: ergo omnis actus volũtatis est ipsius vt dominæ sui perfectè.

Respondent: *Voluntas domina sui perfectè, seu dominio rationali, & consulto est ipsa volens cùm vult, & nolens cùm non vult quomodocunque*, Nego. *volitione, aut nolitione rationali, & consulta*, Concedo. atqui *omnis actus voluntatis est ab ipsa, vt perfectè domina sui dominio rationali, & consulto*, Nego. *hoc, vel dominio non rationali, & non consulto*, Concedo.

Contrà. Dominium voluntatis non consultum, seu non consequens ad perfectum iudicium consultatiuum est tam perfectè dominium, ac illud, quod non est consultum: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Perfectio dominij voluntatis consistit in hoc, in sententia quam impugnamus, quòd ponat actus suos cùm vult, & non ponat cùm non vult, & ipsi aliter poni non possint; atqui hoc tam illi competit in volitionibus suis, & nolitionibus non consultis, ac consultis: ergo dominium voluntatis non consultum, seu non consequens ad perfectum iudicium consultatiuum est tam perfectè dominium, ac illud quod non est consultum.

Respondent: *Perfectio dominij rationalis voluntatis consistit in hoc, quod ponat actus suos cùm vult, & non ponat cùm non vult volitione, aut nolitione non consulta, & non rationali*, Nego. *rationali, & consulta*, Concedo. *Cum enim inquiunt cognitio det voluntati per propositionem, quam illi facit bonitatis, aut malitiæ obiecti, vt possit ponere suos actus, rectè ex ipsa cognitione, quæ confert illud posse, & eius perfectione, aut imperfectione desumitur perfectio, aut imperfectio ipsius dominij, quod in illo posse positum est, & consistit*; atqui *posse ponere, aut non ponere suos actus cum voluntas vult, aut non vult potestate rationali, & consulta tam illi competit in volitionibus, & nolitionibus non consultis, ac consultis*, Nego. *potestate rationali, & consulta, aut non consulta, & non rationali.* Concedo.

Contrà. Potestas rationalis, & consulta in voluntate ponendi suos actus, aut non ponendi non ponitur in ipsa à iudicio consultatiuo: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Potestas rationalis in voluntate ponendi suos actus, aut non ponendi potest esse sine iudicio consultatiuo, & illud præcedit: ergo non oritur ab ipso.

Prima pars antecedentis probatur primò.

Cùm quis è duobus ouis v. g. omninò similibus, & ita ab ipso iudicatis sumit vnum relicto alio, est in ipso potestas rationalis ponendi suum illum actum sumptionis illius oui, vel non ponendi, & ponendi contrarium; atqui non est in ipso iudicium consultatiuum, dictans ei melius, & optabilius esse sumere illud, quàm

aliud: ergo potestas rationalis ponendi suos actus aut non ponendi potest esse in voluntate sine iudicio consultatiuo.

Minor pr. Non iudicat vt supponimus, illud quod sumit habere plus bonitatis quàm illud quod non sumit: ergo non est in ipso iudicium dictans ei melius, & optabilius esse sumere illud, quàm aliud.

Respondent primò: *Non iudicat illud, quod sumit, habere plus bonitatis, quàm illud, quod non sumit, neque sumptionem illius vtiliorem esse ad aliquid aliud*, Nego. *& iudicat sumptionem illam vtiliorem esse ad aliquid aliud.* Concedo.

Contrà. Illud aliud, ad quod potest dici vtilior illa sumptio vnius ex illis ouis, est exercitium libertatis; atqui sumptio vnius non est vtilior ad exercitium libertatis, quàm sit sumptio alterius: ergo non iudicat sumptionem illius quod sumit, esse vtiliorem ad aliquid aliud, quàm sit sumptio alterius.

Minor pr. Non magis ostenditur exercitium libertatis per sumptionem vnius ex illis, quàm per sumptionem alterius: ergo sumptio vnius non est vtilior ad exercitium libertatis, quàm sit sumptio alterius.

Antecedens pr. Oua illa supponuntur in omnibus esse æqualia, & æqualia iudicari à sumente vnum ex illis: ergo non magis ostenditur exercitium libertatis per sumptionem vnius, quàm per sumptionem alterius.

Respondent secundò: *Negando maiorem superioris argumenti, posito scilicet, quod iudicentur omninò æqualia posse sumi vnum relicto alio.*

Contrà.

Contrà. Tam poteſt ſumi vnum ex illis duobus ouis iudicatis omninò æqualibus non ſumpto alio, quàm ex duobus peccatis iudicatis omnino æqualibus vitari vnum non vitato alio; atqui vitari poteſt vnum ex illis peccatis non vitato alio: ergo & ſumi vnum ex illis ouis non ſumpto alio.

Vt probetur minor, Suppono aliquem perplexæ conſcientiæ exiſtimare eſſe æquale peccatum ipſi dum eſt excommunicatus audire ſacrum, ac non audire in die feſto, & vrgente præcepto, & *ſic argumentor :*

In ſuppoſitione facta homo ille non poteſt non vitare vnum ex illis peccatis non vitato alio: ergo ex duobus peccatis omninò æqualibus poteſt vitari vnum non vitato alio.

Antecedens pr. Non poteſt illa duo vitare, neque alterum ex illis non vitare: ergo non poteſt non vitare vnum ex illis peccatis non vitato alio.

Secunda pars antecedentis probatur ſecundò.

Illud præcedit iudicium conſultatiuum, quod requiritur vt illud iudicium poſſit poni; atqui poteſtas rationalis in voluntate ponendi ſuos actus, aut non ponendi, requiritur vt poſſit poni iudicium conſultatiuum: ergo illud præcedit.

Minor pr. Iudicium conſultatiuum eſt concluſio ſyllogiſmi, cuius vt plurimùm altera præmiſſa eſt tantùm probabilis; atqui vt poni poſſit præmiſſa illa, & aſſenſus probabilis, requiritur in voluntate poteſtas rationalis ponendi ſuos actus, aut non ponendi: ergo & vt poni poſſit iudicium conſultatiuum.

Minor pr. Vt intellectus præbeat illum assensum probabilem requiritur vt hoc ei imperet voluntas; atqui ad imperium illud requiritur in voluntate potestas ponendi suos actus, aut non ponendi: ergo & vt poni possit præmissa illa, & assensus probabilis.

Maior pr. Vt intellectus præbeat illum assensum requiritur vt hoc ei imperet voluntas, vel determinetur ad illum à seipso, & ex intrinseca vi, quam ad hoc habet, vel ab obiecto; atqui non determinatur ad illum assensum à seipso, & ex intrinseca vi, quam ad hoc habeat, neque ab obiecto: ergo vt intellectus præbeat illum assensum probabilem requiritur vt hoc ei imperet voluntas.

Secunda pars minoris probatur primò.

Obiectum determinat tantùm intellectum cùm est ei euidens; atqui obiectum assensus probabilis non est ei euidens: ergo intellectus non determinatur ad assensum illum probabilem ab obiecto.

Maior pr. Obiectum, quod per se determinat intellectum, extorquet ab ipso assensum; atqui obiectum extorquet tantùm assensum ab intellectu, cùm est ei euidens: ergo obiectum determinat tantùm intellectum cùm est ei euidens.

Minor pr. Obiectum extorquet tantùm assensum ab intellectu cùm nihil est neque in ipso, neque in modo, quo ei proponitur, quod eum possit retardare ab eo prębendo; atqui verum est tantùm nihil esse in obiecto, & in modo, quo proponitur quod retardare possit intellectum à prębendo assensu cùm est ei euidens: ergo obiectum ex-

torquet tantùm assensum ab intellectu cùm est ei euidens.

Minor pr. Verum est tantùm nihil esse in obiecto, neque in modo, quo proponitur intellectui, quod retardare possit intelluctum ab ei præbendo assensu, cùm non est in eo falsitas, neque periculum falsitatis; atqui verum est tantùm non esse in obiecto falsitatem, neque periculum falsitatis cùm est euidens: ergo verum est etiam tantum cum est euidens nihil essè in eo, neque in modo, quo proponitur, quod possit retardare intellectum ab ei præbendo assensu.

Minor probatur primo.

Cum obiectum non est euidens, aut non est, aut proponitur cum periculo de eius non existentia; atqui non esse eius est falsitas, & periculum de eiusdem non existentia est periculum falsitatis: ergo verum est tantum non esse in obiecto falsitatem, neque periculum falsitatis cùm est euidens.

Maior prioris argumenti probatur secundo.

Falsitas, & periculum falsitatis retardant intellectum à præbendo assensu obiecto, in quo proponuntur esse: ergo verum est tantum cum obiectum est euidens nihil esse in eo, neque in modo, quo proponitur intellectui, quod illum possit retardare ab ei præbendo assensu.

Respondent: *Falsitas, & periculum falsitatis maius quàm appareat veritas, aut æquale retardant intellectum à præbendo assensu obiecto, in quo proponuntur esse*, Concedo. *cùm illud periculum est minus*, Nego.

Contrà primò. Periculum illud falsitatis tam ma-

gnum, ac appareat veritas non rarò contingit: ergo etiam sæpè contingit vt intellectus non determinetur ad præbendum assensum obiecto ab ipsomet.

Antecedens pr. Non rarò contingit vt rationes, quæ nobis proponuntur pro vtraque parte appareant nobis æquè bonæ: ergo periculum illud falsitatis tam magnum, ac appareat veritas non rarò contingit.

Minor superioris argumenti, intellectum non determinari à seipso, & ex intrinseca vi, quam ad hoc habeat ad assensum probabilem, probatur secundò.

Intellectus seipso, & ex intrinseca vi, quam habet determinans se ad assensum probabilem, est verè, & propriissimè liber, & magis quàm voluntas; atqui intellectus non est verè, & propriè liber formaliter & æquè, ac voluntas: ergo intellectus non determinatur ad assensum probabilem à seipso, & ex intrinseca vi, quam ad hoc habeat.

Maior probatur primò.

Facultas, quæ ita ponit suos actus vt possit eos non ponere, aut ponere illis contrarios, est verè, & propriissimè libera; atqui intellectus seipsum, & ex intrinseca vi, quam habet determinans se ad assensum probabilem, ita illum ponit vt possit non ponere, aut ponere contrarium: ergo est etiam verè, & propriè liber.

Minor prioris argumenti probatur secundò.

Illa facultas non est propriè, & formaliter libera, quæ vt ponat actus illos suos, in quibus maximè elucere posset exercitium libertatis, indiget imperio alterius facultatis; atqui intellectus vt

ponat actus illos suos, in quibus maximè elucere posset exercitium libertatis ipsius, indiget imperio alterius facultatis: ergo intellectus non est propriè, & formaliter liber.

Minor pr. Actus intellectus, sin quibus maximè elucere posset exercitium ipsius libertatis si quam haberet, sunt assensus probabiles ineuidentes, & obscuri; atqui ad illos assensus indiget imperio alterius facultatis, scilicet voluntatis: ergo & ad illos, in quibus elucere posset maximè exercitium libertatis.

Minor pr. Assensus fidei est obscurus; atqui ad illum requiritur pia affectio voluntatis, ex communi sensu PP. & Theologorum: ergo & ad assensus ineuidentes, & obscuros.

Secunda pars minoris primi argumenti in probationem conclusionis, scilicet cum voluntas non est sequax vltimi iudicij esse sæpè libertatem, probatur.

Vltimum iudicium est illud, quod repræsentat assertiuè voluntati aliquod obiectum esse illi optabilius, quàm oppositum, & hîc, & nunc esse amandum; atqui sæpè est libertas cùm non est illud iudicium: ergo & cùm voluntas non est sequax vltimi iudicij.

Minor pr. Obiectum non repræsentatur assertiuè voluntati esse ipsi optabilius, quàm oppositum, & hîc, & nunc esse amandum, cùm est tantum simplex apprehensio de eius bonitate, & malitia, aut iudicium de æqualitate bonitatis ipsius, & malitiæ; atqui sæpè cùm est huiusmodi simplex apprehensio, aut iudicium est libertas: ergo & cùm non est iudicium repræsentans assertiuè

voluntati obiectum aliquod esse ipsi optabilius, quàm oppositum, & hîc, & nunc esse amandum.

Minor pr. Tunc est libertas cum voluntas potest ferri erga bonitatem obiecti, vel auersari eius malitiam; atqui cùm est simplex apprehensio bonitatis obiecti, & simul eius malitiæ, aut iudicium de æqualitate vtriusque volũtas potest affici erga bonitatem obiecti, vel auersari eius malitiam: ergo cum est tantum simplex apprehensio bonitatis, aut malitiæ obiecti est libertas.

Minor pr. Vt voluntas affici possit erga bonitatem obiecti, vel auersari eius malitiam sufficit vt ei repræsententur; atqui simplex apprehensio repræsentat voluntati bonitatem, & malitiam obiecti, sicut & iudicium de æqualitate vtriusque: ergo cùm est simplex apprehensio bonitatis obiecti simul & eius malitiæ voluntas potest affici erga primam, & auersari secundam.

Maior pr. Non plus requiritur in voluntate, vt affici possit erga bonitatem obiecti, aut auersari eius malitiam, quàm in appetitu sensitiuo; atqui vt iste afficiatur erga bonitatem obiecti, aut auersetur eius malitiam sufficit vt ei repræsententur nudè, & simpliciter sine iudicio practico: ergo etiam similis repræsentatio sufficit in voluntate.

Minor pr. Iudicium huiusmodi practicum non conceditur brutis etiam à contraria sententia; atqui in illis est appetitus sensitiuus: ergo vt iste afficiatur erga bonitatem obiecti, aut auersetur eius malitiam, sufficit vt ei nudè, & simpliciter repræsententur sine iudicio practico.

Respondent ad præcedens argumentum: *Non*

plus requiritur in voluntate, vt affici poßit quocunque modo erga bonitatem obiecti, aut auersari eius malitiam, quàm in appetitu sensitiuo, Concedo. *vt affici posit liberè*, Nego. atqui. *vt iste afficiatur necessario erga bonitatem obiecti, aut auersetur eius malitiam, sufficit vt ei nudè, & simpliciter repræsententur sine iudicio practico*, Concedo. *vt afficiatur liberè*, Nego.

Contrà. Vt voluntas afficiatur liberè erga bonitatem obiecti, aut auersetur eius malitiam, sufficit vt cùm ponit actum prosecutiuum bonitatis, v.g. ita eum ponat vt possit non ponere, aut ponere contrarium, & actum auersatiuum malitiæ; atqui cùm ei sine iudicio practico repræsentatur bonitas obiecti, & eius malitia, ita ponit actum prosecutiuum bonitatis vt possit non ponere, aut ponere contrarium, & actum auersatiuum malitiæ: ergo voluntas potest sine iudicio practico affici liberè erga bonitatem obiecti.

Minor pr. Voluntas ita ponit actum prosecutiuum bonitatis obiecti, vt possit non ponere, cùm nihil deest ipsi ad eum ponendum, & nihil est, à quo habeat necessitatem illum ponendi, aut non ponendi contrarium; atqui cùm repræsentatur ei bonitas obiecti, & eius malitia sine iudicio practico, nihil ipsi deest ad ponendum actum prosecutiuum bonitatis, & nihil est etiam, à quo habeat necessitatem illum ponendi, aut non ponendi contrarium: ergo ita eum ponit vt possit non ponere, aut ponere contrarium, & actum auersatiuum malitiæ.

Secunda pars minoris probatur primò.

Cùm bonitas obiecti, & eius malitia repræsen-

tantur voluntati, hæc à nullo alio potest habere necessitatem ponendi actum prosecutiuum bonitatis ipsius, quàm vel à repræsentatione illius bonitatis, vel à bonitate, vel à seipsa; atqui non habet necessitatem ponendi actum prosecutiuum bonitatis, neque à seipsa, neque à repræsentatione bonitatis, neque ab ipsa bonitate: ergo nihil est, à quo habeat necessitatem illum non ponendi, aut ponendi contrarium.

Prima pars minoris probatur.

In principio habente vim productiuam variorum effectuum necessitas ponendi vnum potiùs, quàm alium non petitur ab ipso; atqui voluntas habet vim ponendi actum prosecutiuum bonitatis, aut ipsi contrarium: ergo necessitas ponendi primum potiùs, quàm secundum non petitur ab ipsa.

Maior pr. Necessitas ponendi vnum effectū potiùs, quàm aliū est impossibilitas producendi illum alium; atqui in principio habente vim productiuam variorum effectuum non est impossibilitas ponendi vllum ex illis, sed verè potestas ponendi omnes: ergo in principio habente vim productiuam variorum effectuum necessitas ponendi vnum potiùs, quàm alium non petitur ab ipso.

Minor pr. Vis productiua variorum effectuum, non potest dici impossibilitas ponendi vllum ex illis, sed potiùs vera, & propria potestas ponendi illos omnes: ergo in principio habente vim productiuam variorum effectuum non est impossibilitas ponendi vllum ex illis, sed verè potestas ponendi omnes.

Secunda & tertia pars minoris superioris argu-

menti, voluntatem non habere necessitatem ponendi actum prosecutiuum, neque à repræsentatione bonitatis, neque ab ipsa bonitate, pr.

Bonitas obiecti, & repræsentatio eius non imponunt necessitatem voluntati eliciendi actum prosecutiuum circa ipsam, cùm repręsentatur ei simul in eodem obiecto malitia; atqui hæc ei simul repræsentatur, vt supponimus: ergo voluntas non habet necessitatem ponendi actum prosecutiuum bonitatis obiecti, neque ab ipsa bonitate, neque ab eius repræsentatione.

Respondent: *Bonitas obiecti, & repræsentatio eius non imponunt necessitatem voluntati eliciendi actum prosecutiuum circa ipsam, cum repræsentatur ei simul in eodem obiecto malitia, & hæc repræsentatio apprehensiua non infert necessariò, & non habet consequens annexum iudicium de prosecutione bonitatis,* Concedo. *& habet huiusmodi iudicium consequens,* Nego. atqui *hæc ei simul repræsentatur, vt supponimus, & hæc repræsentatio apprehensiua non infert necessario, & non habet consequens iudicium de prosecutione bonitatis,* Nego. *& habet huiusmodi consequens iudicium, per quod scilicet determinetur, & imponatur ei hæc necessitas* Concedo.

Contrà. Huiusmodi repræsentatio apprehensiua non magis infert necessariò iudicium de prosecutione bonitatis obiecti, quàm de actu auersatiuo malitiæ eiusdem obiecti; atqui non infert necessariò iudicium de actu auersatiuo malitiæ eiusdem obiecti: ergo neque de prosecutione bonitatis ipsius.

Minor probatur primò. K v

Repræsentatio illa apprehensiua non potest inferre simul necessario iudicium de actu auersatiuo malitiæ illius obiecti, & de prosecutione illius bonitatis; atqui infert ex concessis necessario iudicium de prosecutione bonitatis illius obiecti: ergo non infert necessario iudicium de actu auersatiuo malitiæ eiusdem.

Maior prioris argumenti probatur secundò.

Repræsentatio non plus proponens, & detegens voluntati bonitatis in obiecto, quàm malitiæ, non potius debet inferre necessario iudicium de prosecutione primæ, quàm de fuga, & actu auersatiuo secundæ; atqui repræsentatio, de qua est quæstio sæpè non plus proponit, & detegit voluntati bonitatis in obiecto, quàm malitiæ: ergo non magis infert necessario iudicium de prosecutione bonitatis obiecti, quàm de actu auersatiuo malitię eiusdem.

Maior pr. Cum bonitas, & malitia cum æqualitate, & sine excessu vnius supra aliam proponuntur voluntati, quemadmodum vna non debet dici habere plus virium ad illam ad se trahendam, quàm alia ad eandem retrahendam, & à se repellendam, ita nec repræsentatio illarum ad inferendum potiùs iudicium de prosecutione primæ, quàm de fuga, & actu auersatiuo secundæ: ergo repræsentatio non plus proponens, & detegens voluntati bonitatis in obiecto, quàm malitiæ non potius debet inferre necessario prosecutionem primæ, quàm fugam, & actum auersatiuum secundæ.

Prima pars minoris argumenti suprà facti, cùm repræsentatur voluntati bonitas obiecti, & eius

malitia sine iudicio practico nihil ipsi deesse ad ponendum actum prosecutiuum bonitatis, *pr.*

Cùm adsunt voluntati cum debita applicatione omnes causæ actus prosecutiui bonitatis obiecti, nihil deest ipsi ad eum ponendum; atqui cùm repræsentatur ei bonitas obiecti sine iudicio practico, & per simplicem apprehensionem, adsunt ei omnes causæ productiuæ actus prosecutiui bonitatis illius obiecti, & sunt debitè applicatæ: ergo cùm repræsentatur voluntati bonitas obiecti nihil deest ipsi ad ponendum actum prosecutiuum illius.

Minor pr. Causæ productiuæ actus prosecutiui bonitatis obiecti sunt efficiens, finalis, & materialis, & debita applicatio illarum est repræsentatio secundæ, ipsi primæ, & existentia huius & tertiæ; atqui illæ omnes adsunt voluntati cùm ei repræsentatur bonitas obiecti: ergo & omnes causæ productiuæ illius actus prosecutiui cum debita applicatione.

Minor pr. Causa finalis illius actus prosecutiui bonitatis obiecti est bonitas, quæ repræsentatur, & efficiens, & materialis ipsa voluntas, cui fit illa repræsentatio; atqui bonitas illa repræsentatur, & voluntas est expedita ad producendum, & recipiendum huiusmodi actum: ergo omnes illæ causæ adsunt voluntati cùm ei repræsentatur bonitas obiecti.

Respondent: Atqui *bonitas illa repræsentatur sufficienter vt moueat voluntatem*, Nego. *non quantùm satis est vt ipsam moueat*, Concedo. ergo *omnes illæ causæ adsunt voluntati cùm ei repræsentatur bonitas obiecti sufficienter vt ipsam*

moueat, Concedo. *cùm non repræsentatur quantùm satis est vt ipsam moueat*, Nego.

Contrà. Repræsentatio bonitatis obiecti sufficiens voluntati ad ipsam mouendam ad eius amorem est vt eam non lateat, & ei detegatur; atqui cùm ei repræsentatur per simplicem apprehensionem eam non latet, & ei detegitur: ergo ita repræsentatur vt sufficienter eam moueat.

Respondent primò: *Repræsentatio bonitatis obiecti, sufficiens voluntati ad ipsam mouendam ad eius amorem est vt ipsam non lateat, & ei detegatur certò, & non cum incertitudine an verè sit?* Concedo. *cum incertitudine an verè sit?* Nego. atqui *cùm repræsentatur per simplicem apprehensionem, eam non latet, & detegitur ei certò*, Nego. *cum incertitudine an verè sit?* Concedo.

Contrà. Bonitas obiecti per simplicem apprehensionem repræsentatur sæpè certò sicut & per iudicium speculatiuum, & è contrario per iudicium vltimum, & practicè practicum repræsentatur sæpè cum incertitudine an verè sit, cùm nimirum est tantùm probabile: ergo nulla solutio.

Tertia pars antecedentis clara est, & duæ primæ probantur.

Bonitas obiecti repræsentatur certò per simplicem apprehensionem, & per iudicium speculatiuum cùm est euidens; atqui sæpè est euidens: ergo etiam sæpè repræsentatur certò per huiusmodi apprehensionem, & iudicium.

Minor pr. Sæpè repræsentatur per simplicem apprehensionem, & iudicium speculatiuum bonitas Dei; atqui illa est euidens: ergo sæpè bonitas repræsentata est euidens.

Respondent secundò *ad superius argumentum, repræsentatio bonitatis obiecti sufficiens voluntati ad ipsam mouendam ad eius amorem motu rationali, & consulto, est vt eam non lateat, & ei detegatur detectione rationali, & consulta*, Concedo. *detectione alia quacunque, & non rationali, nec consulta*, Nego. atqui *cùm ei repræsentatur per simplicem apprehensionem eam non latet, & detegitur ei detectione rationali, & consulta*, Nego. *detectione non rationali*, Concedo.

Contrà. Bonitas obiecti detegitur voluntati detectione rationali, cùm ei aperitur causa cur proponatur esse talis, & quare sit perfectio; atqui sæpè per simplicem apprehensionem detegitur voluntati causa cur bonitas obiecti proponatur esse talis, & quare sit perfectio: ergo etiam detegitur ei detectione rationali.

Minor pr. Simplex apprehensio repræsentat quidquid iudicium; atqui iudicium repræsentat causam cur bonitas obiecti proponatur esse talis: ergo & simplex apprehensio.

Maior pr. Non iudicamus nisi de apprehensis ex Philosopho, & cōmuni omnium sensu: ergo simplex apprehensio repræsentat quidquid iudicium.

Obiicies. Voluntas non potest amare, neque odisse liberè sine iudicio practicè practico, & vltimo re, aut virtute consultatiuo: ergo libertas est vltimi sequax iudicij.

Antecedens pr. Vt voluntas amet liberè voluptatem v. g. non sufficit iudicium speculatiuum, aut simplex apprehensio de illius delectabilitate, & aliqua inhonestate: ergo voluntas non potest amare liberè sine iudicio practicè practico, & vl-

timo re , aut virtute consultatiuo.

Antecedens probatur. Illud non sufficit, vt voluntas amet voluptatem liberè per quod non constituitur ignorans; atqui per apprehensionem, & iudicium speculatiuum de voluptatis delectabilitate, & inhonestate voluntas non constituitur ignorans: ergo vt voluntas amet voluptatem liberè non sufficit iudicium speculatiuum, aut simplex apprehensio de illius delectabilitate, & inhonestate.

Maior pr. Illud non sufficit, vt voluntas amet voluptatem liberè, per quod non potest dici peccans; atqui ratione illius, per quod non potest dici ignorans non potest dici peccans : ergo illud non sufficit vt voluntas amet voluptatem liberè, per quod non constituitur ignorans.

Minor probatur. Vt ratione illius, per quod voluntas non potest dici ignorans, dici possit peccans, debet aliquis peccans non esse ignorans; atqui omnis peccans est ignorans : ergo ratione illius, per quod voluntas non potest dici ignorans, non potest dici peccans.

Solutio : Atqui *omnis peccans est ignorans ignorantia , quæ sit error ,* Nego. *ignorantia quæ sit carentia cognitionis, & considerationis, quæ si adesset non fieret peccatum ,* Concedo. ergo *ratione illius, per quod non potest dici ignorans ignorantia , quæ sit error non potest dici peccans ,* Nego. *ignorantia quæ sit carentia cognitionis, & considerationis,* Concedo.

Contrà. Ignorantia , quæ est in peccante debet dici error: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Illa ignorantia debet dici error,

quæ facit vt peccans dicatur errare; atqui peccantes verè dicuntur errare: ergo ignorantia, quę est in peccante debet dici error.

Minor pr. Qui operantur malum peccant; atqui ex sapiente errant: ergo peccantes verè dicuntur errare.

Solutio: Atqui *ex sapiente errant, hoc est deflectunt à recto virtutis tramite*, Concedo. *hoc est habent errorem in intellectu*, Nego. *Alioqui omnis peccans esset hæreticus. Error enim ipsius esset in materia fidei, & consequenter hæresis si ei coniungeretur pertinacia.*

Contrà. Qui imprudenter agunt errant vero errore; atqui qui peccant imprudenter agunt: ergo errant vero, & proprio errore.

Maior pr. Qui imprudenter agunt habent iudicium, per quod repræsentatur eorum voluntati id, quod agunt esse ipsis melius quàm oppositum; atqui illud iudicium est error verus, & proprius: ergo qui imprudenter agunt errant vero errore.

Maior pr. Iudicium illorum non repræsentat eorum voluntati id, quod agunt non esse tam bonum ac oppositum, neque tantùm æquè bonum: ergo repræsentat illud esse melius, quàm oppositum.

Antecedens pr. Voluntas non potest ferri in id, quod repræsentatur ipsi esse minus bonum, aut tantùm æquè bonum: ergo iudicium eorum, qui imprudenter agunt, repræsentat eorum voluntati id, quod agunt non esse tam bonum, ac oppositum, neque tantùm æquè bonum.

Antecedens pr. Voluntas, quæ fertur in id, quod est minus bonum non amat se verè, & quæ affici-

tur erga tantùm æquè bonum non est rationalis; atqui voluntas non potest non se amare, neque non esse rationalis: ergo voluntas non potest ferri in id, quod repræsentatur ipsi esse minus bonum.

Maior pr. Quod amat se verè vult sibi semper, quod melius est, & quod est rationale habet semper causam suarum actionum; atqui voluntas, quæ fertur in id, quod est minus bonum non vult sibi melius, & quę afficitur circa tantùm æquè bonum non habet causam sui illius affectus: ergo voluntas, quæ fertur in id, quod est minus bonum non amat se verè, & quæ afficitur erga tantùm æquè bonum non est rationalis.

Prima pars maioris probatur.

Quod non vult sibi melius non se amat: ergo quod se verè amat vult sibi semper melius.

Antecedens pr. Quod non vult sibi bonum non se àmat; atqui quod non vult sibi melius, non vult sibi bonum: ergo quod non vult sibi melius non se amat.

Minor pr. Quod vult sibi malum, non vult sibi bonum; atqui quod non vult sibi melius, vult sibi malum: ergo quod non vult sibi melius, non vult sibi bonum.

Solutio: *Quod vult sibi malum positiuè, non vult sibi bonum*, Concedo. *quod vult sibi malum tantùm priuatiuè, & per negationem maioris boni, seu minus bonum*, Nego. *si enim amare minus bonum non esset se amare, vix vllus se amaret. Rarum siquidem est nos circa obiectum, etiamsi nobis repræsentetur melius elicere affectum erga illum in tota illa intensione, & perfectione, quam*

possumus habere, quod tamen facere deberemus si vellemus semper, quod apparet nobis melius. Si quidem si illa melioritas obiecti traheret necessariò nostrum affectum negari etiam non posset omnis illa intensio, & perfectio, quam posset habere. Ratio autem quare quod repræsentatur nobis hîc, & nunc melius non trahat necessariò voluntatem, est quia non repræsentatur purè bonum, & admixtio mali simul repræsentati exercens vim, quam habet repellendi affectum facit vt illum ponere, vel non ponere maneat in potestate voluntatis, cui ideo idem ius non est in affectibus erga summum bonum clarè repræsentatum, quia cùm istud nullam habeat admixtionem mali, propterea quod sit summa perfectio, & summa perfectio sit summe amabilis, & summa amabilitas trahat necessario amorem, & quoad specificationem, & quoad exercitium, voluntas non potest non ferri quàm vehementi potest affectu in ipsum, neque illum suum affectum interrumpere. Et iam ad minorem; atqui *quod non vult sibi melius, vult sibi malum positiue*, Nego. *priuatiue*, Concedo. *Verum quidem est quod non habet tantùm bonitatis, quantùm aliud respectu illius non habere rationem boni, seu perfecti, & eius cui nihil deest: habet tamen illam sub alio respectu; & quatenus nihil illi deest ad eam rationem quam habet, & hac eius ratio potest bene afficere subiectum, & ei repræsentata mouere illud ad sui prosecutionem.*

Contrà. Qui vult sibi malum priuatiue, seu minus bonum cùm proponitur ei maius, non est benè affectus erga se,& beatitudinem;atqui nullus potest non esse benè affectus erga se, & erga

lam determinationem, si non proponatur ei per iudicium præuium: ergo vt voluntas faciat illam determinationem necessarium est iudicium præuium.

Minor pr. Nulla est alia cognitio, per quam ei innotescat bonum esse facere illam determinationem, quàm per illud iudicium præuium: ergo ignotum est ei bonum esse facere illam determinationem, si non innotescat ei per iudicium præuium.

Solutio: *Negandum est antecedens, & dicendum illam aliam cognitionem esse apprehensionis prærequisitas ad iudicium de maiori bonitate obiecti, per quas innotescit sufficienter voluntati, & bonitas obiecti, & bonitas assensus circa ipsam, quæ cum ambæ appareant obscurè, & cum sufficienti fundamento dubitandi num sit illa maioritas conuenientiæ, penes voluntatem est suspendere suum affectum, aut non suspendere, & imperare intellectui vt ponat assensum, vel non ponat. Et certè si intellectus assentiretur necessariò illi maioritati perfectionis, & voluntas eadem in illam necessitate ferretur, culpanda esset inordinationis natura, quæ perstante incertitudine veritatis, & conuenientiæ dedisset illis certam, & determinatam inclinationem ad veritatem, & conuenientiam dubiam, seu quod idem est in falsitatem, & disconuenientiam æquè, ac in veritatem, & veram conuenientiam.*

Contrà. Maioritas conuenientiæ, quam appetunt bruta in suis obiectis est æquè incerta, & dubia, ac ea, quam nos appetimus; atqui certa, determinata, & necessaria inclinatione ipsis à na-

tura indita feruntur in illam: ergo licèt incerta sit maioritas veritatis, & conuenientiæ possumus & non ferri in illas certa, determinata, & necessaria inclinatione.

Solutio: *Maioritas conuenientiæ, quam appetunt bruta in suis obiectis est æquè incerta, ac dubia, ac ea, quam nos appetimus, & nihilominus maioritas illius conuenientiæ patet ipsis euidenter, non verò nobis*, Concedo. *& non patet ipsis euidenter quemadmodum non patet nobis*, Nego. *& concessa minori: ergo licèt incerta sit maioritas conuenientiæ possumus, & nos ferri in illam si pateat nobis euidenter maioritas illius conuenientiæ*, Concedo. *si non pateat euidenter, sed dubia nobis maneat*, Nego. *Ratio autem, quare potius maioritas conuenientiæ illius pateat brutis euidenter, quàm nobis est, quia cognitiones brutorum sunt tantùm per sensus, & ministerio sensuum, & horum sensationes internæ, & externæ sunt repræsentationes suorum obiectorum intuitiuæ, & euidentes, & non habentes superiores facultates, per quas deprehendi possint errores, qui possent in illis contingere, & excitare dubium num verè sit, quod repræsentant, quemadmodum nos facimus per intellectum, corrigentem errores sensus, & iudicantem sæpè falsum, quod iste repræsentat tanquam certissimum.*

Contrà. Quantumuis maioritas conuenientiæ repræsentetur nobis tantùm ineuidenter non possumus illam non appetere, & præferre minori: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Voluntas non appetens maioritatem conuenientiæ ipsi repræsentatam constituit suum subiectum prudens, & imprudens, seu

agens prudenter, & imprudenter; atqui subiectum ipsius non potest esse prudens, & imprudens, agens prudenter, & imprudenter: ergo voluntas non potest non appetere maioritatem conuenientiæ, quantumuis repræsentetur ei ineuidenter.

Respondeo *constituere imprudens, non verò prudens.*

Contrà. Illud subiectum debet dici prudens, & prudenter agere quod habet verum actum prudentiæ; atqui in illo, cui repræsentatur maioritas conuenientiæ, & præscribitur appetenda, est verus actus prudentiæ: ergo est verè prudens.

Solutio: *Illud subiectum debet dici prudens, & prudenter agere, quod habet verum actum prudentiæ, si voluntas faciat, quod iste repræsentat faciendum,* Concedo. *si non faciat,* Nego. atqui *in illo, cui repræsentatur maioritas conuenientiæ, & præscribitur appetenda, est verus actus prudentiæ, & voluntas sequitur eius ductum,* Nego. *& non sequitur eius ductum,* Concedo.

Contrà. Voluntas non potest non sequi eius ductum: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Vt non sequatur eius ductum debet ipsi repræsentari non sequendum; atqui non repræsentatur ipsi non sequendum: ergo non potest non sequi eius ductum.

Minor probatur. Intellectus non potest simul & semel repræsentare voluntati sequendum esse ductum illius iudicij, & non esse sequendum; atqui cùm habet actum, & iudicium prudentiæ repræsentatur ipsi sequendum: ergo non potest re-

præsentari ipsi quamdiu est non sequendum.

Solutio: *Intellectus non potest simul, & semel repræsentare voluntati assertiuè aut per idem motiuum ductum illius indicii esse sequendum, & non esse sequendum,* Concedo. *apprehensiue tantùm, & ratione diuersarum apprehensionum, per quas formari potest iudicium aliud, quod imperat voluntas,* Nego. atqui *cùm habet actum, & iudicium prudentiæ repræsentatur ipsi sequendum assertiue, aut per idem motiuum, per quod ab alio actu repræsentatur non sequendum,* Nego. *apprehensiue tantùm, aut per diuersum motiuum,* Concedo. *Nemini dubium esse potest quin quando in sacris paginis legimus,* Bonum scienti, & non facienti maius peccatum est illi: *intelligatur per illam* scientiam boni *actus prudentiæ, & per* non facienti, *voluntas non sequens ductum illius actus prudentiæ. Ex quo,*

Colligi facile potest existente actu prudentiæ in nobis voluntatem nostram posse non sequi eius ductum, neque propterea nos esse prudentes simul & imprudentes. Siquidem ad hoc vt aliquis dicatur prudens non sufficit vt bene, & prudenter iudicet, sed præterea prudenter, & bene velit, & ita viuat vt de illo dici non possit, quod asserit de antiquis Philosophis D. Paulus: Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, *quod ipsis non verteretur vitio si non indicassent, per verum actum prudentiæ Deum esse glorificandum. Si enim illum actum prudentiæ non habuissent, seu quod idem est in sententia auctorum contrariæ sententiæ, habere non potuissent, Intellectus siquidem quos actus non habet habere non potest, non essent inexcusabiles prout illis exprobrat Apostolus. Facile*

enim illis fuisset dicere se non potuisse Deum glorificare, quia carebant actu prudentiæ, quem non poterant habere, & sine quo tamen non poterat ipsorum voluntas velle illam Dei glorificationem. Quod autem non possent habere illum actum prudentiæ patet, quia cum in ista sententia intellectus non possit non ferri in illud, quod ei quomodocunque apparet magis verum, & illud magis verum apparere ei non possit nisi per apprehensiones, neque istæ in eo excitari nisi per propositionem obiectorum, quam ipsi propositionem impedire non possunt, non debet etiam dici penes ipsos esse non habere illas apprehensiones, & consequentia inde iudicia, aut posse habere alias apprehensiones, & alia iudicia. Veritatis huius vis clarior esse potest si applicatio fiat primo iudicio, quod habet Petrus verbi gratia statim post initium usus rationis. Cum enim iudicium illud fiat consequenter ad apprehensiones in ipso excitatas ab obiectis ipsi propositis, & hæc propositio non fuerit in eius potestate, neque etiam dicenda est fuisse apprehensio, & ex ea consequens iudicium, quod qui admittunt non plus concedunt nobis libertatis, & potestatis in nostros actus, quàm brutis.

Secunda pars minoris superioris argumenti voluntatem, quæ fertur tantum in æquè bonum non habere causam sui affectus probatur secundò.

Ratio, & causa propter quam voluntas dici possit ferri in tantùm æquè bonum debet peti ab obiecto, à cognitione, vel ab ipsamet; atqui non petitur ab obiecto, neque à cognitione, neque ab ipsamet voluntate : ergo voluntas, quæ fertur tantùm in æquè bonum non habet causam sui affectus.

Respondeo *peti ab ipsamet voluntate*.

Contrà. Vt ratio illa, & causa petatur à voluntate debet ipsa voluntas seipsam mouere obiectiuè; atqui non mouet seipsam obiectiuè: ergo non petitur ab ipsamet voluntate.

Minor probatur. Ratio, & causa mouens voluntatem, & petita ex parte ipsius debet repræsentari: ergo voluntas debet seipsam mouere obiectiuè.

Antecedens probatur. Ratio illa, & causa nullam habere potest vim in voluntatem nisi ipsi repræsentetur: ergo debet ipsi repræsentari.

Solutio: *Ratio illa, & causa nullam potest habere vim in voluntatem in genere causæ finalis nisi ipsi repræsentetur*, Concedo. *in genere causæ efficientis liberæ*, Nego. *Huius enim tota ratio est, quia ita placet, iuxta illud toties decantatum*, sit pro ratione voluntas; *siquidem in agente libero, cùm nihil ipsi deest ad agendum, alia causa non est quærenda eorum, quæ agit, cùm in eius potestate sit se in quam partem voluerit flectere, & hoc non tantùm cùm agitur de mediis consequendi finem intentum, sed etiam proponendi sibi finem, cùm scilicet obscurum ei est, & dubium an proponere sibi debeat pro fine vltimo honores? an diuitias? an Deum? quod valdè notandum est contra eos, qui non agnoscunt aliud exercitium libertatis, quàm in electione mediorum ad consequendum finem intentum. Manifestum enim est etiam in prælatione vnius ex illis finibus alteri exerceri verè, & propriè libertatem, & vim addicendi se vni ex illis potiùs quàm alteri. Cùm autem Aristoteles dixit electionem*

non esse de finibus, sed de mediis, intelligi debet de fine vltimo clarè cognito, aut beatitudine in communi, in qua cùm nihil appareat mali, sed summa amabilitas, non possumus ei quidquam aliud preferre, neque ei nostrum amorem negare, aut non inquirere ea, quæ iuuant ad eius consecutionem, & inuentis vti ad eam nobis coniungendam. Quod non perinde se habet in ipsa singulariter sumpta, & contracta ad honores, diuitias, aut etiam Deum. In ea enim hoc modo sumpta non apparet statim nihil esse mali, neque quæcunque occurrunt dirigenda esse ad illius adeptionem.

Ex dictis inferes primò, essentiam libertatis in eo consistere, quod agens ita afficiatur circa obiectum, siue illud sit finis, siue medium, vt possit non affici.

Secundò, quod est medium respectu finis, ad quem conducit posse esse finem respectu alterius rei, quæ ad ipsum obtinendum vtilis est, nihilque planè esse præter Deum, qui (si nulla sit inordinatio non potest ordinari ad aliud) quod non possit esse medium, & assumi tanquam vtile, & inseruiens ad aliquid aliud.

Tertiò, non esse quid perfectius Deum se amare liberè quàm necessario, sed potiùs quid imperfectius. Cùm enim perfectio Dei maxima sit quod eius esse sit necessarium, & de ratione ipsius esse sit se intelligere, & se amare: amare se necessario debet numerari inter primarias eius perfectiones, non verò amare se contingenter, seu liberè. Istud enim, vt sequentibus conclusionibus declarabitur, magis sonat indifferentiam, & contingentiam.

Quartò, contrariam sententiam debere fateri duo contra communem sensum. Primum est motus indeliberatos, & qui dicuntur primo primi esse liberos verè, & propriè, cùm fiunt vt sæpè contingit, per species relictas ab actibus præcedentibus, qui, vt ipsi volunt, facti sunt consequenter ad iudicium realiter consultatiuum. Secundum est eadem etiam vera, & plena libertate gaudere actus amentium, dormientium, & ebriorum, in quibus sunt species relictæ ab actibus realiter consultatiuis, cùm eliciuntur similes actus iis, à quibus sunt productæ, vt fit cùm proponitur idem obiectum quod amatum est, aut illi simile.

Quintò, amorem, quo nos amamus quantumuis magnus sit non impedire primò quominus debeamus, & consequenter possimus velle nostrum non esse, & annihilationem propter auctorem rerum omnium, & huius nostri esse, cui totum illud debemus, & quem amare plus quàm nos debemus.

Secundò, non impedire etiam quominus velimus amicis nostris varia bona, quia ipsorum bona sunt, & licèt nihil inde commodi in nos redundet. Si enim verum esset, quod volunt auctores contrariæ sententiæ asserentes nos in omnibus nostris actionibus ita nos amare, vt quidquid volumus velimus semper propter nos, nulla planè esset vera amicitia, & verus amor beneuolentiæ, sed omnis omnino amor esset concupiscentiæ.

Tertia Conclusio:

Libertas non est indefferentia iudicij.

Libertas constituit voluntatem dominam suorum actuum; atqui indifferentia iudicij non constituit voluntatem dominam suorum actuum: ergo libertas non est indifferentia iudicij.

Minor pr. Illud non constituit voluntatem dominam suorum actuum, per quod non potest disponere de illis ad nutum, & prout libuerit; atqui indifferentia iudicij non facit vt voluntas possit disponere ad nutum, & prout libuerit de suis actibus: ergo indifferentia iudicij non constituit voluntatem dominam suorum actuum.

Minor pr. Illud non facit vt voluntas possit disponere de suis actibus ad nutum, & prout libuerit quo stante carere potest concursu Dei necessario vt illos possit ponere, aut habere adiunctum aliud comprincipium impediens ne possit cessare ab illis; atqui stante indifferentia iudicij voluntas potest carere concursu Dei necessario, vt possit ponere suos actus, aut habere aliquod aliud comprincipium adiunctum, quod faciat, vt non possit cessare ab illis: ergo voluntas non potest per indifferentiam iudicij disponere de suis actibus.

Minor probatur. Stante indifferentia iudicij Deus ita præstat hunc concursum voluntati, vt possit non præstare, & potest illi adiungere comprincipium explicatum: ergo stante indifferentia iudicij voluntas potest carere cōcursu ne-

cessario vt possit ponere suos actus, & habere adiunctum comprincipium explicatum.

Antecedens pr. Ex eo, quod Deus ita præstet hunc concursum voluntati, vt possit non præstare, & possit illi adiungere comprincipium explicatum non sequitur esse, & non esse simul eiusdem rei: ergo stante indifferentia iudicij Deus ita præstat hunc concursum voluntati vt possit non præstare, & potest illi adiungere comprincipium explicatum.

Antecedens pr. Sequitur tantum esse indifferentiam iudicij in nobis, & in Deo volitionem adiungendi nostræ voluntati comprincipium explicatum, aut non præstandi concursum necessarium; atqui indifferentia iudicij in nobis, & volitiones illæ Dei non sunt vna, & eadem res: ergo ex eo, quod Deus ita præstet hunc concursum voluntati, vt possit non præstare, & possit illi adiungere comprincipium explicatum non sequitur esse, & non esse eiusdem rei.

QVARTA CONCLVSIO:

Libertas non consistit in amplitudine voluntatis, & adhæsione cum Deo.

AMPLITVDO illa voluntatis, & adhæsio cum Deo nihil est aliud, quàm aut status gratiæ sanctificantis, aut actualis amor Dei; atqui libertas non consistit in statu gratiæ sanctificantis, aut actuali amore Dei: ergo libertas non consistit in amplitudine voluntatis, & adhæsione cum Deo.

Minor probatur. Libertas non consistit in his, quibus positis non est, & quibus non positis est; atqui positis statu gratiæ sanctificantis, & actuali amore Dei, ipsa non est, & illis non positis est: ergo libertas non consistit in statu gratiæ sanctificantis, aut actuali amore Dei.

Prima pars minoris probatur.

Status gratiæ sanctificantis, & actualis amor Dei sunt in beatis; atqui in illis non est libertas circa illum amorem: ergo posito statu gratiæ sanctificantis, & actuali amore Dei non est libertas.

Minor probatur. In Beatis non est libertas circa illos actus, qui non sunt in illorum potestate; atqui amor Dei non est in potestate Beatorum: ergo in Beatis non est libertas circa illum amorem.

Minor probatur. Ex D. August. lib. de Spiritu, & litera cap. 30. *hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit*, seu facit, aut non facit ad nutum, & prout placet; atqui amor Dei non fit ad nutum, & prout placet à Beatis: ergo non est in potestate Beatorum.

Maior certa est non tantum ex loco citato S. Augustini, sed etiam primò ex D. Damasceno lib. 2. de fide cap. 26. *In nobis illa sita sunt quorum liberam habemus potestatem vt aut ea faciamus, aut non faciamus.* Secundò ex Clemente Alexandr. lib. 4. Stromat. *Id est in potestate nostra, cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur.* tertiò Arist. 3. Ethic. cap. 5. *Quibus in rebus nostra in potestate situm est agere in iis,*

& non agere, & in quibus non agere, in iis, & agere, quem locum interpretans D. Thomas ait, *si operari est in nostra potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostra potestate, & minor probatur.*

Quod ita fit à Beatis vt non possit non fieri, non fit ab illis ad nutum; atqui amor Dei non potest non fieri à beatis: ergo non fit ab illis ad nutum, & prout placet.

Secunda pars minoris superioris argumenti, illis non positis esse libertatem, probatur.

In peccatore reo multorum criminum & actu odio habente Deum non est status gratiæ sanctificantis nec actualis amor Dei; atqui in illo est libertas: ergo non positis statu gratiæ sanctificantis & actuali amore Dei libertas est.

Minor probatur. Libertas est in eo, qui est vituperabilis, & meretur pœnas æternas; atqui homo ille peccator est maximè vituperabilis, & meretur pœnas æternas: ergo in eo est libertas.

Obiicies. Ratio quæ afferri potest cur amplitudo voluntatis, & adhæsio cum Deo vt vltimo fine non sit libertas est, quia posse peccare est pars libertatis; atqui potentia peccandi non est pars libertatis: ergo libertas consistit in amplitudine voluntatis & adhæsione cum Deo vt vltimo fine.

Minor probatur. Non magis potentia peccandi est pars libertatis, quàm potentia errandi pars intellectus; atqui potentia errandi non est pars intellectus: ergo neque potentia peccandi pars libertatis.

Solutio : Atqui *potentia errandi non est pars intellectus integrans* , Concedo. *subiectiua*, Nego. ergo *neque potentia peccandi est pars libertatis integrans* , Concedo. *subiectiua* , Nego. *Aliqua enim potest peccare sicut & aliquis intellectus errare.*

Contrà. Illud non est pars libertatis etiam subiectiua, cuius exercitium non est actus libertatis ; atqui exercitium potentiæ peccandi non est actus libertatis : ergo potentia peccandi non est pars subiectiua libertatis.

Minor probatur. Exercitium potentiæ peccandi est peccatum; atqui peccatum non est actus libertatis : ergo exercitium potentiæ peccandi non est actus libertatis.

Minor probatur. Seruitus non est actus libertatis ; atqui peccatum est seruitus : ergo peccatum non est actus libertatis.

Solutio : *Seruitus non est actus libertatis prout hæc idem est, ac exemptio à miseria, & seruitute*, Concedo. *prout idem est ac exemptio à necessitate*, Nego. *& concessa minori* : ergo *peccatum non est actus libertatis prout hæc est exemptio à miseria & seruitute*, Concedo. *prout est exemptio à necessitate*, Nego. *Nihil enim est quod cogat, & necessitet voluntatem ad illud patrandum.*

Contrà. Quod nihil est non est actus potentiæ propriæ, & positiuæ ; atqui peccatum nihil est ex D. August. & SS. & libertas sumpta pro exemptione à necessitate est potentia propria, & positiua: ergo peccatum non est actus libertatis sumptæ pro exemptione à necessitate.

Solutio : *Quod nihil est, hoc est non est quid po-*

sitiuum, *non est actus potentiæ positiuæ necessariæ*; Concedo. *liberæ*, Nego. *Huius enim actus tam est non facere ac facere*, *&* *permissa prima parte minoris distinguenda est secunda*, *&* *libertas est potentia positiua necessaria*, Nego. *libera*, Concedo.

QVINTA CONCLVSIO:

Libertas voluntatis est potentia ad vtrumlibet, indifferentia ad agendum, aut non agendum, seu id, per quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, aut non agere.

HVIVS conclusionis veritas licèt pateat satis ex declaratione præcedentium, & refutatione eorum, in quibus dici poterat sita esse libertas, confirmari tamen potest adhuc magis ratione.

Libertas voluntatis rectè constituitur in eo modo agendi agentium intellectualium, quo dicuntur gaudere pleniori exemptione à necessitate, & habere perfectius dominium, & magis absolutum suorum actuum, & quod intellexere nomine liberi arbitrij Concilium Senonense & Tridentinum; atqui per hoc, quod eorum voluntas sit potentia ad vtrumlibet, sit indifferens ad agendum, aut non agendum, positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, aut non agere, Agentia intellectualia gaudent pleniori exemptione à necessitate, habent perfectius dominium,

& magis absolutum suorum actuum, & hoc intellexere nomine liberi arbitrij Concilium Senonense, & Tridentinum: ergo libertas voluntatis est potentia ad vtrumlibet, indifferentia ad agendum, aut non agendum, seu id, per quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, aut non agere.

Vltima pars maioris non potest esse dubia, & aliæ duæ probantur primo.

Libertas rectè constituitur in eo modo agendi, in quo consultatio, deliberatio, & electio locum habent, & quod illis proprium est exercent. Atqui consultatio, deliberatio, & electio locum habent, & quod illis proprium est exercent in eo modo agendi, per quem agentia intellectualia gaudent pleniori iure exemptionis à necessitate, & habent perfectius, & magis absolutum dominium suorum actuum: ergo libertas rectè constituitur in eo modo agendi, per quem agentia intellectualia gaudent pleniori iure exemptionis à necessitate, & habent perfectius, & magis absolutum dominium suorum actuum.

Minor probatur. Consultatio, deliberatio, & electio locum habent, & quod illis proprium est exercent cùm versantur circa ea, quæ possunt aliter, & aliter se habere, & ex duobus potest sumi vnum altero repudiato; atqui modus agendi, per quem agentia intellectualia gaudent pleniori iure exemptionis à necessitate, & habent perfectius, & magis absolutum dominium suorum actuum versatur circa ea, quæ possunt aliter se habere, & ex multis, aut duobus potest sumi vnum altero repudiato: ergo in eo consultatio, delibera-

tio & electio locum habent, & quod illis proprium est exercent.

Maior. pr. Non instituimus consultationem aut deliberationem de necessariis, neque eligimus in iis, quæ sunt determinata ad vnum: ergo consultatio, deliberatio, & electio versantur circa ea, quæ possunt aliter se habere.

Antecedens pr. Non instituimus consultationem, aut deliberationem nisi de iis, quæ possumus cauere, aut impedire, neque cogitamus de electione, vbi non potest esse præacceptio vnius præ alio, quod repudiatur; atqui non possumus cauere, aut impedire necessaria, & non potest esse præacceptio vnius præ alio quod repudiatur in iis, quæ sunt determinata ad vnum: ergo non instituimus consultationem aut deliberationem de necessariis, neque eligimus in iis, quæ sunt determinata ad vnum.

Maior pr. Ex D. Damasceno lib. 2. de fide cap. 26. *Consilium est eorum, quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo quod tam ipsum possumus quàm eius oppositum.* & Nemesius lib. de natura hominis cap. 40. *ostensum est autem suprà* (ait) *consultationem esse rerum contingentium peræquè in vtramque partem.* Aristoteles 6. Ethic. cap. 1. *Nemo de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt*; atqui non possumus cauere, aut impedire necessaria, & quæ aliter se habere non possunt: ergo non consultamus, aut deliberamus, de iis quæ non possumus cauere, & impedire.

Duæ primæ partes minoris primi argumenti in probationem conclusionis probantur secundò.

Per illud agentia intellectualia gaudent pleniori exemptione à necessitate, & habent perfectius dominium & magis absolutum suorum actuum, per quod illos ponunt, aut non ponunt ad nutum, & prout placet; atqui per hoc, quod voluntas sit potentia ad vtrumlibet, & positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, aut non agere, agentia intellectualia ponunt, aut non ponunt actus suos ad nutum, & prout placet: ergo per hoc etiam gaudent pleniori exemptione à necessitate, & habent perfectius dominium, & magis absolutum suorum actuum.

Tertia pars minoris primi argumenti in probationem conclusionis probatur tertiò.

Concilium Senonense decreto fidei 15. *Percurrenti sacram Scripturam passim obuium esse*, ait, *quod liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret*, & Concilium Tridentinum definit sess. 6. can. 5. *liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum non esse amissum, & extinctum*: ergo Concilium Senonense, & Tridentinum intellexere nomine liberi arbitrij voluntatem esse potentiam ad vtrumlibet, esse indifferentem ad agendum, vel non agendum, & positis omnibus ad agendum requisitis posse agere, vel non agere.

Consequentia pr. Concilium Senonense, & Tridentinum intellexere per verba allata, illud per quod definiebatur quod erat controuersum inter Lutherum, Caluinum, vtriusque discipulos, & Catholicos Doctores, & quod definitum esse intellexerunt tum ipsi hæretici, tum Catholici, qui contra ipsos pugnabant pro vera, & ortho-

doxa fide; atqui vt id definiretur, quod erat controuerſum inter Lutherum, Caluinum, vtriuſque diſcipulos, & Catholicos Doctores, & quod intellexerunt definitum fuiſſe, tum ipſi hæretici, tum Catholici, qui contra ipſos pugnauere pro vera, & orthodoxa fide, dicendum eſt Concilium Senonenſe, & Tridentinum intellexiſſe per verba allata libertatem eſſe potentiam ad vtrumlibet, eſſe indifferentem ad agendum, vel non agendum, & poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſe agere, aut non agere: ergo Concilium Senonenſe, & Tridentinum intellexere nomine liberi arbitrij voluntatem eſſe potentiam ad vtrumlibet, eſſe indifferentem ad agendum, vel non agendum, & poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſe agere, vel non agere.

Minor pr. Controuertebatur inter Lutherum, Caluinum, vtriuſque diſcipulos, & Catholicos Doctores an liberum arbitrium neceſſitate vellet quæ vult, & definitum eſſe conſenſere per verba Concilij Tridentini tum Caluinus, eiuſque diſcipuli, tum Catholici, qui contra ipſos pugnabant, liberum arbitrium non neceſſitate velle, ſed eſſe potentiam ad vtrumlibet, eſſe indifferentem ad agendum, vel non agendum, & poſitis omnibus ad agendum requiſitis agere, aut non agere: ergo Concilium Tridentinum, & Senonenſe dicenda ſunt intellexiſſe per verba allata libertatē eſſe potentiam ad vtrumlibet, eſſe indifferentem, ad agendum, vel non agendum, & poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſe agere, aut non agere.

Prima pars antecedentis probatur primò.

Melancthon id fatetur suâ Apologiâ aduersus censuram Sorbonæ contra hæresim Lutheri de gratia, & Libero arbitrio, & Caluinus contra eosdem Doctores Sorbonicos multum irascitur quod anno 1542. die prima Martis decreuissent inesse homini lapso libertatem ad vtrumlibet: ergo controuertebatur inter Lutherum & Caluinum, & Doctores Catholicos an Liberum arbitrium necessitate vellet, quæ vult.

Secunda pars eiusdem antecedentis probatur secundò.

Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini ad can. quintum sess. sextæ, respondet: *de verbo*, inquit, *ne moueamus rixam, sed quia per Liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in vtramque partem libera, & soluta, titulum esse sine re qui affirmat, Christum habet auctorem.* Idem fatentur in suis libris eius discipuli & multo lubentiùs, adhuc Catholici tum qui interfuere Concilio Tridentino, tum qui eo nondum finito scripsere, aut postquam fuit absolutum Ioannes Vigers in 1. 2. quæst. 6. artic. 2. numero sexto. *Certa fide tenendum est*, ait, *etiam post lapsum superesse naturalem facultatem liberam, dictam Liberum arbitrium, nec tantummodò esse eiusmodi potentiam, sed etiam liberum illius potentiæ vsum, qui requirit*, inquit, *in potentia quandam indifferentiam ad agendum, & non agendum positis iam omnibus ad actionem prærequisitis.* Gabriel Pennotus (cæteros enim referre longum nimis esset) palam profitetur libro primo propugnaculi humanæ libertatis capite septimo, neminem planè fuisse è Catho-

licis Theologis, qui post Concilium Tridentinum scripserunt de hac materia, qui non contrariam sententiam erroris, & hæreseos damnarit. Tam certò hoc credi voluit Ecclesia, vt Pius quintus & Gregorius decimus-tertius, propositiones Michaëlis Baij, *Quod voluntariè fit, liberè fieri, etiam si necessariò fiat, & sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, in perpetuum abolendas sanciuerint: ergo Caluinus, & Catholici consensere definitum esse per verba Concilij Tridentini Liberum arbitrium non necessitate velle, sed esse potentiam ad vtrumlibet, esse indifferentem ad agendum, vel non agendum, & positis omnibus ad agendum prærequisitis posse agere, vel non agere.

Obiicies. Voluntas habet libertatem ad amorem aut odium voluptatis; atqui non habet indifferentiam ad huiusmodi amorem, aut odium: ergo libertas voluntatis non est indifferentia ad agendum huiusmodi amorem, aut odium.

Minor probatur. Voluntas non habet indifferentiam circa ea erga quorum vnum valdè propendet, erga aliud vero parùm admodùm; atqui voluntas propendet valdè ad amorem voluptatis, & parùm admodùm ad eius odium: ergo non habet indifferentiam ad huiusmodi amorem, aut odium.

Maior probatur. Propensio in vnum magis, quàm in aliud destruit indifferentiam ad vtrumque: ergo voluntas non habet indifferentiam ad ea, erga quorum vnum valdè propendet; erga aliud vero parùm.

Antecedens probatur. Indifferentia ad duo, &

æquilibrium circa eadem sunt idem; atqui propensio ad vnum ex illis magis, quam ad aliud destruit illud æquilibrium: ergo & indifferentiam.

Solutio: *Indifferentia ad duo, & æquilibrium circa eadem sunt idem, intellecta ambo de vi productiuâ illorum duorum ad nutum, & prout placuerit*, Concedo. *intellecta de æquali propensione affectiua erga illa*, Nego. Atqui *propensio in vnum magis quàm in aliud destruit æquilibrium circa illa intelligendo per æquilibrium vim productiuam illorum ad nutum, & prout placuerit*, Nego. *intelligendo æqualitatem propensionis*, Concedo.

Contrà. Vis productiua duorum ad nutum non potest stare sine æqualitate propensionis ad illa: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Voluntas non potest producere id, ad quod minus propendet: ergo vis productiua duorum non potest stare sine æqualitate propensionis ad illa.

Solutio: *Voluntas non potest producere id, ad quod minus propendet ante actionem*, Nego. *post actionem*, Concedo. *Per actionem enim ipsam propensio eius maior additur, & applicatur ei quod producit.*

Contrà. Actio voluntatis quæ potest esse ad producendum id, ad quod ante ipsam actionem ipsa minus propendet, debet determinari ab aliquo; atqui nihil est à quo determinetur: ergo non datur actio voluntatis ad producendum id, ad quod minus propendet ante actionem.

Minor probatur. Voluntas determinatur ab

eo, ad quod est maior ipsius inclinatio, seu propensio, & impulsus concupiscentiæ: ergo nihil est, à quo determinetur ad id producendum, ad quod minus propendet.

Respondeo, *negando antecedens, & ratio est, quia voluntas habet ex se, & sua intrinseca ratione vt possit se determinare, neque eget aliquo extrinseco aut intrinseco ad illam suam determinationem, cum ex parte obiecti non deest, quod amet, aut auersetur. Atque hæc est eius prærogatiua suprà bruta, quæ non habent ex se vt possint se determinare, neque alio ferri quam quò major obiecti bonitas ipsis repræsentata ea impellit.*

SEXTA CONCLVSIO:

Præcepta diuina non sunt impossibilia.

Addimus hanc conclusionem ad faciliorem intelligentiam eorum quæ diximus de libera, seu indifferenti electione boni, & mali, & possibilitate resistendi gratiæ, & concupiscentiæ: licet autem eius veritas non alia egeat probatione, quàm ea, quæ habetur can. decimo-octauo sess. 6. Concilij Tridentini. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse impossibilia, Anathema sit*: non inutile tamen forte erit sequentem addere.

Præcepta diuina possunt impleri: ergo non sunt impossibilia.

Antecedens pr. Possumus facere, & verè fieri potest à nobis, quod nobis Deus iubet: ergo præcepta diuina possunt impleri.

Antecedens pr. Quod Deus nobis iubet,& præcipit vult fieri à nobis ; atqui Deus non vult fieri à nobis quod non possumus facere, & non potest verè à nobis fieri :ergo possumus facere, & verè fieri potest à nobis ,quod nobis Deus iubet.

Minor pr. Deus non vult à nobis fieri, quod non iudicat posse fieri à nobis; atqui non iudicat posse fieri à nobis,quod non possumus facere, & non potest verè fieri à nobis:ergo Deus non vult fieri à nobis, quod non possumus facere, & non potest verè à nobis fieri.

Minor pr. Deus non vult,quod iudicat se non posse velle ; atqui iudicat se non posse velle fieri à nobis quod iudicat non posse fieri à nobis:ergo Deus non vult à nobis fieri, quod iudicat non posse à nobis fieri.

*Minor pr.*Deus iudicat se non posse velle quidquam impossibile;atqui Deum velle vt fiat à nobis quod non potest fieri à nobis,est velle aliquid impossibile : ergo Deus iudicat se non posse velle vt fiat à nobis quod iudicat non posse fieri à nobis.

Minor pr. Est impossibile vt fiat à nobis,quod non potest fieri à nobis:ergo Deum velle vt fiat à nobis,quod non potest fieri à nobis, est velle aliquid impossibile.

Obiicies. Præcepta, quæ Deus imposuit naturæ humanæ lapsæ,sunt ipsi impossibilia:ergo præcepta diuina sunt impossibilia.

Antecedens pr. Ea,ad quæ Deus obligauit naturam humanam lapsam sunt ipsi impossibilia:ergo & præcepta, quæ ipsi imposuit.

Antecedens probatur. Deus obligauit naturam humanam lapsam ad amandam se super omnia;

atqui est impossibile naturæ humanæ lapsæ amare Deum super omnia: ergo ea, ad quæ Deus obligauit naturam humanam lapsam sunt impossibilia.

Solutio : *Deus obligauit naturam humanam lapsam ad amandum se super omnia , subministrando ipsi vires ad hoc*, Concedo. *non subministrando ipsi illas vires*, Nego. Atqui *non potest amare Deum super omnia. Deo non subministrante ipsi vires ad illum amorem*, Concedo. *Deo subministrante ipsi vires ad illum amorem*, Nego.

Contrà. Deus obligauit naturam humanam lapsam quandiu perseuerat nullo ipsi alio subministrato ad tendendum in finem & in beatitudinem supernaturalem : ergo & ad amandum se super omnia, licet ei nullæ aliæ vires subministrentur.

Antecedens probatur. Eleuatio ad finem supernaturalem & obligatio tendendi in illum, sunt idem; atqui natura humana lapsa, quandiu perseuerat nullo ipsi alio superaddito, manet semper eleuata ad illum finem : ergo & obligata ad tendendum in illum.

Solutio : *Eleuatio ad finem supernaturalem, seu propositio finis illius cum viribus sufficientibus ad illum obtinendum, & obligatio tendendi in illum, sunt idem*, Concedo. *sine huiusmodi viribus*, Nego. atqui *natura humana lapsa quandiu perseuerat, manet semper eleuata ad illum finem, & cum viribus sufficientibus seclusa gratia Christi ad illum obtinendum*, Nego. *sine huiusmodi viribus, seclusa gratia Christi*, Concedo.

Contrà. Natura humana lapsa obligatur ad non peccandum, seu non recedendum à fine supernaturali sine viribus sufficientibus ad abstinendum à peccato: ergo est etiam in ea obligatio sine huiusmodi viribus ad tendendum in illum finem.

Antecedens probatur. Dæmones, & damnati non possunt abstinere à peccato; atqui obligantur ad abstinendum ab illo: ergo & natura lapsa.

Solutio: *Dæmones, & damnati non possunt physicè abstinere à peccato,* Nego. *moraliter,* Concedo. *& concessa minori*: ergo *natura lapsa obligatur etiam ad abstinendum à peccato sine viribus ad hoc sufficientibus moraliter,* Concedo. *sufficientibus physicè,* Nego. *Ratio est euidens, quia Deus non potest magis imponere illi hanc obligationem, quàm præcipere, & velle vt abstineat si iudicet hoc non posse ab ipsa fieri vt debet (si ita se res habeat) iudicare, ac proinde, & consequenter ad hoc iudicium non potest velle, vt hoc ab ipsa fiat, vt per se clarum est.*

Septima Conclusio:

Libertas non conuenit Brutis.

Libertas non conuenit illis, quæ non habent dominium in suos actus: atqui bruta non habent dominium in suos actus: ergo libertas non conuenit Brutis.

Minor pr. Bruta non habent dominium in ea, quæ non sunt in eorum potestate; atqui actus

Brutorum non sunt in eorum potestate: ergo non habent dominium in suos actus.

Minor pr. Illud non est in potestate Brutorum propter quod non debent donari præmio, aut puniri; atqui Bruta non debent donari præmio, aut puniri propter suos actus: ergo ipsorum actus non sunt in eorum potestate.

Minor pr. Bruta non debent magis puniri propter suos actus, quàm homo propter illos sui appetitus sensitiui; atqui homo non debet puniri propter actus sui appetitus sensitiui: ergo neque Bruta propter suos.

Minor pr. Homo non debet puniri propter actus, quos non potest cohibere; atqui non potest cohibere actus sui appetitus sensitiui: ergo homo non debet puniri propter illos.

Minor pr. Actus quos exprimunt verba illa D. Pauli, *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, erant actus appetitus sensitiui; atqui D. Paulus non poterat illos cohibere: ergo homo non potest cohibere actus appetitus sensitiui.

Minor pr. D. Paulus non poterat cohibere actus illos, per quos non demerebatur; atqui D. Paulus non demerebatur per illos actus sui appetitus sensitiui: ergo D. Paulus non poterat cohibere illos actus.

Minor pr. D. Paulus merebatur per repugnantiam illam, quam exhibebat huiusmodi actibus sui appetitus: ergo non demerebatur per illos.

Consequentia pr. D. Paulus simul, & semel, & per actus versantes circa idem obiectum non merebatur, & demerebatur; atqui actus appetitus sen-

sitiui D. Pauli, & repugnantia, quam illis exhibebat, exercebantur ab ipso simul & semel, & circa idem obiectum: ergo posito quod mereretur per illam repugnantiam non demerebatur per actus illos appetitus sensitiui.

Et quod inde consequens est primò illi actus non erant liberi in ipso. Secundò iis similes multò minus debent censeri esse in potestate Brutorum in quibus non est ratio superior, à qua possint frænari, nec quidquam, quod altiori bono moueatur, quàm iucundo, & intuitu cuius moderari possint affectus vehementiores, quàm par sit, erga delectabilitatem terrenam, & materialem.

Obiicies. Bruta habent in sua potestate actus sui appetitus: ergo libertas conuenit Brutis.

Antecedens probatur. Bruta positis omnibus ad agendum requisitis, possunt ponere, aut non ponere actus sui appetitus: ergo habent illos in sua potestate.

Antecedens pr. Bruta ponunt actus sui appetitus sensitiui ad nutum, & prout ipsis placet: ergo positis omnibus ad agendum requisitis possunt illos ponere, aut non ponere.

Supponunt *quod experientia frequens docet canem panem ante ipsius os positum ad certas voces heri sui esum illius panis prohibentis illum non comedere, & ad alias esum imperantes statim vorare, & hoc posito probant antecedens.*

Canes in casu posito ponunt, aut non ponunt esum illius panis ad nutum, & prout ipsis placet: ergo & Bruta actus sui appetitus.

Antecedens pr. Ille ponit ad nutum, & prout placet, esum, aut non esum panis, qui iussus ab

eo abſtinere, aut non abſtinere, iuſſa exequitur; atqui canes in caſu poſito iuſſi abſtinere, aut non abſtinere ab eſu panis propè os poſiti, iuſſa exequuntur: ergo ponunt illum eſum panis ad nutum & prout ipſis placet.

Solutio: *Ille ponit ad nutum, & prout placet eſum, aut non eſum panis, qui iuſſus ab eo abſtinere, aut non abſtinere, iuſſa exequitur ſi poſſit ea non exequi*, Concedo. *ſi non poſſit ea non exequi*, Nego. Atqui *canes iuſſi abſtinere, aut non abſtinere ab eſu illius panis, iuſſa exequuntur, & poſſunt ea non exequi*, Nego. *& non poſſunt ea non exequi*. Concedo.

Contrà. Ille ſupponitur poſſe non exequi iuſſa, qui ad ea exequenda excitatur pœnis, præmiis, & hortationibus; atqui canes iuſſi abſtinere, aut non abſtinere ab eſu, aut non eſu panis ante os poſiti, excitantur ab hero ad iuſſa exequenda pœnis, præmiis & hortationibus: ergo ita iuſſa exequuntur, vt poſſint ea non exequi.

Solutio: *Ille ſupponitur poſſe non exequi iuſſa, qui ad ea exequenda excitatur pœnis, præmiis, & hortationibus non conſtantibus ſimul cum obiecto eum exceſſum bonitatis, qui determinet eum, qui exequitur iuſſa, & non auferat ipſi ſuam indifferentiam ad ea non exequenda*, Concedo. *conſtantibus huiuſmodi bonitatis exceſſum, qui determinet eum, qui iuſſa exequitur, & non relinquat ipſi indifferentiam ad ea non exequenda*, Nego. Atqui *canes iuſſi abſtinere, aut non abſtinere ab eſu, aut non eſu panis ante os poſiti, excitantur ab hero ad iuſſa exequenda pœnis, præmiis & hortationibus non conſtan-*

tibus simul cum obiecto talem excessum bonitatis, qui eos ad iussa exequenda non determinet, & relinquat illis indifferentiam, ad ea non exequenda, Nego. *& non relinquat illis indifferentiam*, Concedo. *sine autem hac indifferentia non potest esse libertas. Determinatio enim potentiæ agentis vt possit censeri libera non debet esse neque ab obiecto, neque ab alio quàm à sua vi intrinseca, & ipsi propria, qualem certè non habent canes & alia Bruta, quæ in iisdem circumstantiis eodem modo se habent semper, & idem planè agunt.*

Contrà. Ille qui excitatur ad iussa exequenda pœnis, præmiis, & hortationibus, relinquitur ab ipsis in sua indifferentia cùm in iussi exequendis conuenit ei verè & propriè electio; atqui in iussis exequendis electio conuenit canibus, & similibus Brutis: ergo cum canes excitantur ad iussa exequenda pœnis, præmiis, & hortationibus, relinquuntur an sua indifferentia ad ea non exequenda.

Minor probatur. Illi conuenit electio, qui inquirit media, & deliberat de aptioribus ad iussa exequenda; atqui canes inquirunt media, & deliberant de aptioribus ad iussa exequenda: ergo electio conuenit canibus.

Supponunt *ad probationem minoris experientiam sat s communem canum venaticorum, qui iussi capere leporem non insistunt eius vestigiis fugientis ex valle ad montem, sed via breuiori, qua experientia didicere illum iturum, præcurrunt, & sic argumentantur:*

Media ad capiendum leporem ex valle fugien-

tem ad montem sunt vel insistere eius vestigiis, vel præcurrere via breuiori, & hoc vltimum est aptius; atqui canes venatici in casu posito deliberant de his duobus mediis, & sumunt quod est aptius, & magis idoneum: ergo carnes venatici inquirunt media, de iis deliberant, & sumunt magis idonea.

Solutio: Atqui *canes venatici in casu posito deliberant de his duobus mediis, discernendo ea non esse amabilia propter se, sed propter aliud, & sumunt magis idoneum non determinati ab ipsius maiori aptitudine, & seruata indifferentia non vtendi isto, aut sumendi aliud*, Nego. *non discernendo, an sint amabilia propter se, an propter aliud, & non relicti in indifferentia, sed omnino determinati ab excessu illo illius maioris aptitudinis ad sumendum magis idoneum*, Concedo. *& simili modo distinguendum est Consequens. Certè si canes illi venatici non determinarentur ab excessu illo maiori aptitudinis ad sumendum illud magis idoneum, aliquando illud non sumerent contra quam doceat experientia, per quam exploratum habemus nihil planè prosequi, quod non repræsentetur ipsis melius, quàm eius oppositum.*

Contrà. Homines feruntur semper in id quod ipsis repræsentatur melius: ergo ex eo quod Bruta non prosequantur, nisi quod ipsis repræsentatur melius non debent dici determinari ab eo excessu bonitatis & non relinqui ab eo in indifferentia.

Antecedens probatur. Voluntas humana non fertur in id, quod repræsentatur ipsi esse minus bonum

bonum : ergo homines feruntur semper in id, quod ipsis repræsentatur melius.

Antecedens pr. Voluntas non præfert minus bonum maiori sine aliqua ratione ; atqui illa ratio addita illi minori bono, facit illud esse maius, & desinere esse minus : ergo voluntas humana non fertur in id, quod repræsentatur ipsi esse minus bonum.

Solutio : *Voluntas non præfert minus bonum maiori sine aliqua ratione petita ex suo beneplacito, vel aliunde*, Concedo. *petita necessariò aliunde, quàm ex suo beneplacito*, Nego. atqui *illa ratio addita illi minori bono facit illud esse maius, & desinere esse minus, cùm petitur aliunde quam ex beneplacito*, transeat. *cùm petitur ex solo beneplacito vt sæpè fit ab iis, de quibus ait Poeta*, video meliora, proboque, deteriora sequor, Nego.

Contrà. Ratio petita ex beneplacito continet maximam bonitatem, & tantam quanta est in eo, quod est esse liberum, cui vix vlla alia æquiparari potest: ergo addita minori bono facit illud esse maius, & desinere esse minus.

Solutio : Ergo *addita minori bono facit illud esse maius, & desinere esse minus, si addatur ei ex parte obiecti, & actus voluntatis tendat in ipsam ameturque à voluntate in actu signato*, Concedo. *si non addatur ei ex parte obiecti, & actus voluntatis non tendat in ipsam, sed tantùm ab ipsa oriatur, vt sæpius videre est in iis, qui probè gnari, id erga quod afficiuntur, pariturum ipsis grauia incommoda, & plura quam eius oppositum, non abstinent nihilominus ab eius prosecutione, & cùm quæritur ab ipsis, cur ita se gerant, non afferunt*

aliam rationem quàm quia ita ipsis placet, neque addunt, aut vllo modo illis venit in mentem, quod agere ex beneplacito, & exercere illius vim sit aliquid valdè magnificum, & longè præstans aliis bonis. Ex quo patet discrimen inter voluntatem humanam, & appetitum brutorum in modo eligiendi. Cùm enim illi, & isti proponuntur plura bona, illa ita erga vnum afficitur, & alterum repudiat, vt possit hoc amplecti, & illud repudiare, penesque ipsam stet cessare ab amore eius quod amat, & transferre suum amorem in aliud. Iste verò, ita feratur in vnum, vt non possit non ferri in illud; neque ferri in aliud, quippe qui careat vi illa intrinseca determinandi seipsum, & determinatio eius pendeat tota ab excessu illo bonitatis, quem vnum ex illis mediis habet suprà aliud, quæ si contingeret repræsentari ei omnino æqualia in bonitate, & sine vllo planè excessu, neutrum posset amare, & tandiu in illa impotentia eliciendi vllum planè affectum erga illa maneret, donec proponeretur ipsi ab imaginatione vnum esse alio magis idoneum. Secundùm discrimen est quod appetitus ita fertur in media vt non discernat per actum imaginationis, ad quem sequitur ea non esse amabilia propter se, sed propter aliud. Distinguat verò perfectè actus intellectus repræsentatiuus voluntati ipsorum, & finis, ad cuius assecutionem iuuant, vnde est vt aliqui dicant appetitum amare vnum propter aliud in actu exercito, seu ita se habere in sua prosecutione medii, & finis, vt illud amet quia conducit ad istum, non distiguendo tamen illud esse amabile, quia conducit ad istum; istum verò, quia habet in se quod quærit

voluntatem vero amare vnum propter aliud in actu signato, hoc est, non tantùm, quia vnum conducit ad aliud, sed cum cognitione, & aduertentia illud non debere amari propter se, benè verò istud. Quomodo autem canes venatici (& idem dicendum est de aliis brutis in quibus deprehendimus cognitiones aliquas nouas, & industrias, quas non habebant ab initio) assequantur via illa breuiori facilius se capturos leporem, non est ita faciliè explicare. Non improbabiliter dici posse videtur species relictas in eorum imaginatione, tum plurimorum illorum actuum repetitione, quibus insistentes vestigiis leporis sequuti sunt eum ex valle, per circuitum fugientem ad montem; tum aliorum, quibus sine illo circuitu peruenere citius ad montem, ingenerare ipsis imaginationem sine illo circuitu, seu via illa breuiori, quæ est à loco, in quo sunt perueaturos se facilius ad montem, in quo plures cœpere lepores: ita vt species leporum captorum alias in monte excitatæ per speciem leporis de nouo surgentis è valle determinent ipsos ad cò properandum via illa breuiori, quæ ipsorum oculis patet. Atque ex his inferri potest bruta non ratiocinari. Neque enim cùm canis pergit ad montem via illa breuiori necessarium est vt habeat in imaginatione istas præmissas, qui vult capere leporem, debet ire ad montem via breuiori, sed ego volo capere leporem, *& ex illis deducta hac conclusione*, ergo debeo ire in montem via breuiori, *recta pergat ad cacumen montis, sed sufficit, vt ad repræsentationem quam ei exhibet imaginatio excitata per species relictas modo explicato in monte se capturum leporem, afficiatur, & erga illam capturam, & iter-*

illud breuius, quod quasi resperſum videt bonitate illius capturæ.

OCTAVA CONCVSIO:

Libertas conuenit homini.

ILLI conuenit libertas, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis agere poteſt, aut non agere; atqui homo poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, aut non agere: ergo libertas conuenit homini.

Minor pr. Loqui, ſedere, ambulare, &c. eſt agere; atqui homo poſitis omnibus requiſitis ad loquendum, ſedendum, & ad ambulandum, &c. poteſt loqui, vel non loqui; ſedere, vel non ſedere: ergo & agere, aut non agere.

Minoris veritas clarior eſt ipsâ experientiâ, quàm vt debeat probari: difficultas tantùm eſt cui ex eius facultatibus conueniat ea indifferentia agendi, aut non agendi: qua de re ſit

NONA CONCLVSIO:

NVLLA facultas hominis præter eius voluntatem, eſt libera: ergo ſola voluntas eſt libera.

Antecedens pr. De nulla alia poteſt eſſe dubium, quàm de intellectu, & appetitu ſenſitiuo; atqui neque intellectus eſt liber, neque appetitus ſenſitiuus: ergo nulla facultas hominis præter voluntatem eſt libera.

Prima pars de intellectu, probatur.

Nunquam potiori iure intellectus potest dici liber, quàm cum obiectum apparet ei ineuidens, & obscurum; atqui tunc non est liber : ergo nunquam est liber.

Minor probatur. Illud non est liberum circa obiectum ineuidens, & obscurum, quod circa illud non potest elicere actum; atqui intellectus circa obiectum ineuidens, & obscurum, non potest elicere actum : ergo circa illud non est liber.

Minor pr. Quòd astra sint paria, aut non sint paria, est obiectum nobis ineuidens, & obscurum atqui circa neutram partem quantumuis adhibeamus conatum, si non accedit imperium voluntatis, non possumus elicere actum:ergo intellectus non potest elicere actum circa obiectum obscurum, & ineuidens.

Experientia probat minorem.

Secunda pars minoris secundi argumenti, quòd appetitus etiam non sit liber, pr.

Appetitus sensitiuus est vel humanus, vel brutorum; atqui neuter est liber: ergo appetitus non est liber.

Prima pars minoris probatur.

Actus appetitus humani non sunt liberi : ergo neque ipse.

Antecedens pr. Actus appetitus humani vigent maximè in amentibus, ebriis, dormientibus, & fortiter resistentibus tentationi v. g. impuræ; atqui illi non sunt liberi : ergo actus appetitus humani non sunt liberi.

Minor pr. Illi actus non sunt liberi, propter

quos non meremur laudem & præmium, aut vituperium & pœnam; atqui amentes, ebrij, dormientes, & fortiter resistentes tentationi impuræ non merentur propter actus sui appetitus laudem & præmium, aut vituperium & pœnam: ergo illi actus non sunt liberi.

Priores partes minoris certæ sunt omnes, & vltima fortiter scilicet, resistentem tentationi impuræ, non mereri pœnam, probatur.

Fortiter resistens tentationi impuræ, non meretur simul præmium, & pœnam per actus quos exercet circa illam; atqui per actum voluntatis, per quem resistit tentationi, meretur præmium: ergo per actum appetitus, quem habet circa eandem, non meretur pœnam.

DECIMA CONCLVSIO:

Libertas non impeditur per metum, per concupiscentiam, aut ignorantiam.

PER illa libertas non impeditur, per quæ non fit, vt agens positis omnibus ad agendum requisitis non possit agere, aut non agere; atqui neque per metum, neque per concupiscentiam, neque ignorantiam fit, vt agens, positis omnibus ad agendum requisitis, non possit agere, aut non agere: ergo libertas non impeditur per metum, concupiscentiam, aut ignorantiam.

Minor pr. Per illa non fit vt positis omnibus ad agendum requisitis agens non possit agere, aut non agere, quæ non imponunt necessitatem agen-

di, aut non agendi; atqui neque metus, neque concupiscentia, neque ignorantia imponunt necessitatem agendi, aut non agendi: ergo neque per metum, neque per concupiscentiam, aut ignorantiam fit vt agens positis omnibus ad agendum requisitis non possit agere, aut non agere.

Minor pr. Illud non imponit necessitatem agendi, aut non agendi, quo posito agens agit contrarium eius, quod suadet, aut potest agere, aut est æquè indifferens ad vtrumque; atqui posito metu agens agit contrarium eius, in quod propendet, & posita concupiscentia agere potest contrarium eius, quod ista suadet, ac tandem posita ignorantia æquè est indifferens ad vtrumque: ergo neque metus, neque concupiscentia, neque ignorantia imponunt necessitatem agendi, aut non agendi.

Prima pars minoris probatur.

Mercator proiiciens merces in mare, ex metu naufragij non propendet in illam proiectionem; atqui illam exequitur: ergo posito metu fit contrarium eius, in quod agens propendet.

Secunda pars minoris præcedentis argumenti, probatur.

Qui resistit graui tentationi vindictæ, auaritiæ, &c. non facit quod concupiscentia suadet; atqui multi sæpè resistunt grauibus huiusmodi tentationibus: ergo non faciunt, quod illa suadet.

Tertia pars minoris superioris argumenti, probatur.

Ponitur ignorantia, cùm quis explodit bombardam, aut immittit sagittam in amicum, quem

existimat esse feram; atqui cùm est huiusmodi ignorantia, indifferens est iste ad explodendum bombardam, vel non explodendum: ergo positâ ignorantiâ indifferens est ad vtrumque.

Minor pr. Non minus indifferens est iste ad explodendum bombardam, aut non explodendum in amicum, quem existimat feram, quàm cùm non existimat; atqui cùm non existimat, est indifferens: ergo & cum est huiusmodi ignorantia.

Minor pr. Non debet non dici indifferens ad id, quod non est facturus nisi cum magna repugnantia; atqui non est explosurus bombardam in amicum, cum non existimat eum esse feram nisi cum magna repugnantia: ergo cùm non existimat amicum esse feram, est indifferens ad explodendum bombardam, vel non explodendum.



Sectio X.

De bonitate & malitiâ actuum humanorum.

Prima Conclvsio:

Internus actus volitiuus vt sit bonus tendere debet in formalem honestatem sui obiecti.

Actvs internus volitiuus vt sit bonus, tendere debet in formalem honestatem sui obiecti, vel tantùm in materialem; atqui non sufficit vt tendat tantùm in honestatem materialem sui obiecti: ergo vt internus actus volitiuus sit bonus tendere debet in formalem honestatem sui obiecti.

Minor pr. Actus qui tendit tantùm in materialem honestatem sui obiecti, non amat illud, quia honestum est; atqui vt sit bonus, debet illud amare, quia honestum est: ergo non sufficit vt actus sit bonus, vt tendat tantùm in honestatem materialem sui obiecti.

Minor pr. Vt actus sit bonus, debet amare suum obiectum, quia honestum est, aut quia delectabile, & iucundum; atqui non sufficit illud amare, quia iucundum est, aut delectabile: ergo debet

illud amare, quia honestum est.

Minor pr. Non sufficit, vt actus sit bonus, amare obiectum propter rationem, quæ refundere non potest bonitatem, & honestatem in ipsum; atqui iucunditas, & delectabilitas refundere non possunt honestatem in actum: ergo non sufficit vt actus sit bonus quod amet obiectum, quia est iucundum, aut delectabile.

Minor pr. Iucunditas, & delectabilitas refundere non possunt in actum tendentem in ipsa, quod non habent; atqui non habent honestatem: ergo refundere non possunt honestatem.

Minor probatur. Non habent quod non sunt; atqui non sunt honestas: ergo illam non habent.

Obiicitur. Rustici habent actus internos volitiuos bonos; atqui illi non tendunt in honestatem formalem: ergo vt actus internus volitiuus sit bonus, non debet tendere in honestatem formalem sui obiecti.

Minor pr. Ille actus non tendit in honestatem formalem sui obiecti, qui non amat illud, quia honestum est; atqui actus rusticorum non amant suum obiectum, quia honestum est: ergo non tendunt in honestatem formalem illius.

Minor pr. Rusticorum actus non amant, quod ipsis non repræsentatur ab ipsorum intellectu; atqui non repræsentatur ipsis ratio, cur illud obiectum sit honestum: ergo non amant illud obiectum quia est honestum.

Minor pr. Non repræsentatur ipsis, quod rusticorum intellectus ignorat; atqui ignorat rationem, cur sit honestum, seu in quo posita sit hone-

ſtas : ergo non repræſentatur ipſis ratio , cur ſit honeſtum.

Solutio : Atqui *ignorant rationem, cur ſit honeſtum, ſeu in quo poſita ſit honeſtas formaliter ſumpta*, Concedo. *materialiter ſumpta*, Nego. *& conceſſa minore, diſtinguendum eſt conſequens eodem modo. Ratio eſt, quia ad hoc, vt actus ſit bonus, ſufficit, vt repræſentetur obiectum honeſtum, & voluntas afficiatur erga illam honeſtatem; licèt ille, qui habet huiuſmodi repræſentationem, diſtinguere non poſſit, in quo poſita ſit ratio formalis honeſtatis, vt contingit in ruſticis. Hoc enim proprium eſt tantùm Theologorum, aut Philoſophorum moralium, quorum multi etiam iu hac parte ſæpè errant.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Vt actus internus ſit malus, ſufficit præcognoſci malitiam obiecti ipſius, licèt ea non ametur expreſsè.

ILLE actus eſt malus, qui eſt volitio implicita turpitudinis; atqui vt actus ſit volitio interpretatiua, & implicita turpitudinis, ſufficit vt illa præcognoſcatur, licèt non ametur expreſsè: ergo vt actus internus ſit malus ſufficit præcognoſci malitiam obiecti ipſius, licèt ea non ametur expreſsè.

Maior pr. Actus ille eſt malus qui eſt interpretatiua volitio turpitudinis, aut expreſſa; atqui non eſt neceſſarium vt ſit expreſſa: ergo ille actus

est malus qui est volitio implicita, & interpretatiua turpitudinis.

Maior pr. Illud non est necessarium, vt actus sit malus, quod esse non potest; atqui nullus actus esse potest expressa volitio turpitudinis: ergo non est necessarium vt actus sit malus, vt sit volitio expressa turpitudinis.

Minor pr. Turpitudo obiecti est eius malitia; atqui nullus actus potest esse expressa volitio malitiæ: ergo nullus actus esse potest volitio expressa turpitudinis.

Minor pr. Malitia formaliter sumpta non potest esse obiectum prosecutionis; atqui volitio est prosecutio, & turpitudo est malitia: ergo nullus actus potest esse expressa volitio turpitudinis.

Minor primi argumenti superioris vt actus sit volitio interpretatiua, & implicita turpitudinis sufficere, vt illa præcognoscatur, licèt non ametur expresè, probatur.

Illud est interpretatiua, & implicita volitio malitiæ, quod est volitio expressa alicuius, cum quo ipsa cognoscitur coniuncta; atqui eùm præcognoscitur malitia obiecti, est volitio alicuius, cum quo cognoscitur coniuncta esse malitia: ergo vt actus sit interpretatiua volitio, & implicita turpitudinis sufficit, vt illa præcognoscatur, licèt non ametur expresè.

Minor pr. Actus ille est volitio delectabilitatis obiecti; atqui cum illa delectabilitate cognoscitur coniuncta esse malitia: ergo est volitio alicuius, cum quo cognoscitur coniuncta esse malitia.

Minor pr. Turpitudo est malitia; atqui cum illa delectabilitate cognoscitur coniuncta esse

turpitudo : ergo cum delectabilitate cognoſcitur coniuncta eſſe malitia.

Minor pr. Turpitudo eſt id, quod eſt prohibitum; atqui illa delectabilitas eſt prohibita : ergo cum illa delectabilitate cognoſcitur coniuncta eſſe turpitudo.

Obiic.tur. Non minùs requiritur, vt actus internus ſit malus, quàm vt ſit bonus; atqui vt ſit bonus non ſufficit, vt præcognoſcatur bonitas obiecti ipſius: ergo neque vt ſit malus, vt præcognoſcatur eiuſdem malitia.

Maior pr. Non minùs requiritur, vt obiectum refundat malitiam in actum quàm honeſtatem; atqui cum malitiam refundit, eſt malus, & cum honeſtatem, bonus : ergo non minùs requiritur, vt actus internus ſit malus, quàm vt ſit bonus.

Solutio : *Negatur maior. Et ratio eſt, quia vt ait D. Dionyſius bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu, ac proinde cum pauciora requirantur vt aliquid deſit, quàm vt nihil deſit, ſeu ſit aliquid integrum, ea poſſunt ſufficere ad dandam malitiam, quæ non ſufficiunt ad communicandam honeſtatem.*

TERTIA CONCLVSIO:

Tota bonitas formalis poſita eſt in actu interno.

BONITAS formalis tota poſita eſt in actu interno ſolo, vel ſimul cum externo; atqui non eſt poſita in externo: ergo tota poſita eſt in actu interno.

Minor pr. Bonitas formalis non est posita vllo modo in eo, quod nullo modo est formaliter honestum; atqui actus externus nullo modo est formaliter honestus: ergo nullo modo est posita in eo.

Minor pr. Illud non' est formaliter honestum, quod non est formaliter liberum; atqui actus externus non est formaliter liber: ergo neque honestus.

Minor pr. Ille actus non est fomaliter liber, qui non oritur immediatè à potentia formaliter libera; atqui actus externi non oriuntur immediatè à potentia formaliter libera: ergo non sunt formaliter liberi.

Minor pr. Quod non oritur immediatè à voluntate, non oritur à potentia formaliter libera; atqui actus externi non oriuntur immediatè à voluntate: ergo neque à potentia formaliter libera.

Maior pr. Sola voluntas est formaliter libera: ergo quod non oritur immediatè ab illa, non oritur etiam immediatè à potentia formaliter libera.

Obiicitur. Actus externus nihil est interni; atqui in actu externo posita est partialiter bonitas formalis: ergo tota bonitas formalis non est posita in actu interno.

Minor pr. In eo est posita partialiter bonitas formalis, quod est verè bonum formaliter; atqui actus externus est verè bonus formaliter: ergo bonitas formalis est posita in eo partialiter.

Minor pr. Illud est verè bonum formaliter, quod simul cum alio bono etiam formaliter facit vnam maiorem bonitatem formalem; atqui actus ex-

ternus simul cum interno, qui est bonus formaliter, facit vnam maiorem bonitatem formalem: ergo est verè bonus formaliter.

Minor pr. Eleemosyna est actus externus; atqui eleemosyna simul cum actu interno bono facit vnam bonitatem maiorem formalem : ergo & actus externus.

Solutio : Atqui *eleemosyna simul cum actu interno perfectè efficaci, & habenti sine ipsa æqualem durationem, & intensionem, facit vnam maiorem bonitatem*, Nego. *non perfectè efficaci, & non habenti æqualem durationem, aut intensionem*, Concedo. *& eodem modo consequens distinguendum est.*

Contrà. Non minus eleemosyna simul cum actu interno perfectè efficaci, & habenti æqualem durationem, & intensionem, facit maiorem bonitatem formalem, quàm maceratio corporis in honorem Dei, & collatio alicuius beneficij cum suis actibus internis ; atqui maceratio corporis, & collatio beneficij cum suis actibus internis perfectè efficacibus, & habentibus æqualem durationem, & intensionem, faciunt vnam maiorem bonitatem formalem: ergo & eleemosyna.

Solutio : Atqui *maceratio corporis, & collatio beneficij cum suis actibus internis, faciunt maiorem bonitatem in genere meriti*, Nego. *in ratione satisfactionis, aut gratitudinis externæ*, Concedo. *& eodem modo distinguendum est consequens. Non est maius meritum in maceratione corporis externa iuncta internæ, quàm sit in sola interna, est tamen maior satisfactio ; Hæc enim cum consistat in pœnalitate aliqua subeunda, ad illam multum confert externa quæ non suscipitur sine la-*

bore, & difficultate. Similiter non maiorem internam gratitudinem debemus his, à quibus accepimus beneficium aliquod, quàm his à quibus non accepimus si per ipsos non stetit, quominus illud nobis conferrent; quia tamen qui contulerunt de facto, id fecerunt cum aliquo suo incommodo, & nostro commodo debemus his maiorem externam gratitudinem, gratitudo enim obligat ad par pari referendum; seu respondendum voluntati internæ per aliam voluntatem internam, & internæ simul cum externa per voluntatem non solùm internam, sed etiam externam.

Contrà. Sola maceratio corporis interna non habet tantùm bonitatis etiam in genere meriti quantũ simul cum externa : ergo nulla solutio

Antecedens pr. Non magis maceratio corporis interna sola habet tantùm bonitatis, quantum simul cum illa, quàm voluntas dandi infinitas eleemosynas simul cum illis, aut etiam voluntas faciendi quidquid boni vnquam fecit Beata Virgo simul cum his, quæ fecit; atqui voluntas dandi infinitas eleemosynas, & faciendi quidquid boni vnquam fecit Beata Virgo, non habet tantum bonitatis sola, quantum simul cum illis eleemosynis, aut operibus præstitis à Beata Virgine : ergo maceratio corporis interna non habet tantum bonitatis, quantùm simul cum externa.

Solutio : Atqui *voluntas dandi infinitas eleemosynas, & faciendi quidquid boni vnquam fecit Beata Virgo, non habet tantùm bonitatis, quantùm simul cum illis eleemosynis, aut operibus præstitis à Beata Virgine, si fuerit perfectè efficax, non fuerit perfectè efficax,* Nego. *si non fuerit perfectè efficax,* Concedo. ergo *maceratio corporis interna non*

habet tantùm bonitatis, quantum simul cum externa, si fuerit perfectè efficax, Nego. *si non fuerit perfectè efficax*, Concedo.

Contrà. Sunt multi qui habent voluntatem perfectè efficacem dandi infinitas eleemosynas, & faciendi quidquid boni fecit Beata Virgo; atqui illi non habent tantum bonitatis quantum habet Beata Virgo, aut haberet ille, qui daret infinitas eleemosynas: ergo voluntas dandi infinitas eleemosynas, & faciendi quidquid boni vnquam fecit Beata Virgo, non habet tantum bonitatis sola, quantum simul cum illis eleemosynis, aut operibus præstitis à Beata Virgine, etiamsi fuerit perfectè efficax.

Solutio: *Negatur maior. Ratio est, quia voluntas illa tantùm dici potest perfectè efficax, vi cuius poni potest eius obiectum, & de facto ponitur, nisi impediatur; Nullus autem est, qui habeat voluntatem, vi cuius poni possint infinitæ eleemosynæ, aut fieri quidquid boni fecit vnquam Beata Virgo: Ad primum enim requiruntur infinitæ diuitiæ, ad secundum verò gratiæ illæ omnes, & auxilia extraordinaria, beneficio quorum Beata Virgo benè est operata, quæ nobis non conceduntur.*



SECTIO XI.

An dentur actus indifferentes in indiuiduo, & quænam sit regula humanorum actuum.

PRIMA CONCLVSIO:

Dantur actus humani indifferentes in indiuiduo.

ACTVS humani indifferentes in indiuiduo sunt actus liberi, neque boni, neque mali; atqui dantur actus humani singulares liberi, neque boni, neque mali moraliter: ergo dantur actus humani indifferentes in indiuiduo.

Minor pr. Nolitio exequendi consilium aliquod Euangelicum, est actus liber singularis; atqui ille neque est bonus, neque malus: ergo dantur actus singulares liberi, neque boni, neque mali.

Prima pars minoris probatur primò.

Omissio maioris boni non est bona; atqui illa nolitio est omissio maioris boni: ergo non est bona.

Maior pr. Omissio illa non est bona, quæ non est præmio digna; atqui omissio maioris boni non est præmio digna, aut laudabilis: ergo non est bona.

Secunda pars minoris superioris argumenti, nolitionem illam non esse malam, probatur.

Illa nolitio non est mala, quæ non est prohibita; atqui illa nolitio non est prohibita: ergo non est mala.

Minor pr. Nolitio illius rei non est prohibita, cuius obiectum non est imperatum, seu sub præcepto; atqui obiectum istius nolitionis non est imperatum, aut sub præcepto: ergo ista nolitio non est prohibita.

Maior pr. Illa nolitio non est prohibita, à qua non tenemur abstinere; atqui non tenemur abstinere à nolitione eius, cuius obiectum non est imperatum seu sub præcepto: ergo nolitio illius rei non est prohibita, cuius obiectum non est imperatum, seu sub præcepto.

Minor pr. Non tenemur abstinere à nolitione eius quod non tenemur velle; atqui non tenemur velle illud, quod non est nobis imperatum: ergo non tenemur abstinere à nolitione eius, cuius obiectum non est imperatum.

Minor superioris argumenti, scilicet obiectum illius nolitionis non esse imperatum, probatur.

Obiectum illius nolitionis est consilium aliquod euangelicum: atqui consilia euangelica non sunt nobis imperata: ergo obiectum istius nolitionis non est sub præcepto, & imperatum.

Minor pr. Quod est merum consilium non est sub præcepto; atqui consilia euangelica sunt merè consilia: ergo non sunt sub præcepto, & imperata.

Obiicitur. Actus humani indifferentes in indiuiduo sunt actus singulares liberi, neque boni, neque mali; atqui actus singulares liberi hominis sunt, aut boni, aut mali: ergo non dantur actus

humani indifferentes in indiuiduo.

Minor pr. Illi actus sunt boni, qui referuntur in honestum finem,& illi mali,qui non referuntur in honestum finem; atqui nulli sunt nostri actus singulares liberi, qui non referantur in honestum finem,aut referantur: ergo actus singulares nostri liberi sunt aut boni, aut mali.

Secunda pars maioris probatur; prima enim est certa.

Illi actus sunt mali, quibus non satisfit obligationi naturali, & diuinæ; atqui non satisfit obligationi naturali, & diuinæ actibus, qui non referuntur in honestum finem:ergo actus,qui non referuntur in honestum finem, sunt mali.

Minor pr. Est obligatio naturalis, & diuina referendi nostros omnes actus in honestum finem: ergo non satisfit obligationi naturali, & diuinæ, actibus qui non referuntur in honestum finem.

*Antecedens pr.*Est obligatio naturalis,& diuina tendendi semper in beatitudinem;atqui non tendimus semper in illam,cum non referimus omnes nostros actus in honestum finem:ergo est obligatio naturalis, & diuina referendi nostros omnes actus in honestum finem.

Maior pr. Est obligatio naturalis, & diuina amandi semper beatitudinem; atqui non potest amari semper, quin in illam semper tendamus: ergo est obligatio naturalis tendendi semper in beatitudinem.

Maior pr. Beatitudo est summum bonum;atqui est obligatio amandi semper summum bonum: ergo & amandi semper beatitudinem.

Minor pr. Summum bonum est summa perfectio; atqui est obligatio amandi semper summam perfectionem: ergo est obligatio amandi semper summum bonum.

Minor pr. Est obligatio amandi summam perfectionem, quantùm debet amari; atqui vt ametur quantùm debet amari, debet semper amari: ergo est obligatio eam semper amandi.

Solutio: Atqui *vt ametur quantùm debet amari, debet semper amari à nobis, hoc est, ei non debemus displicere*, Concedo. *hoc est debemus ei semper placere*, Nego. ergo *est obligatio eam semper amandi, hoc est, ei non displicendi*, Concedo. *hoc est ei semper, & in omnibus positiuè placendi*, Nego.

Contrà. Amor, qui debetur summæ perfectioni est vt ipsi placeamus in omnibus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Summa perfectio est summè amabilis: ergo amor, qui ei debetur, est vt ipsi placeamus in omnibus.

Consequentia pr. Amor debitus summè amabili, est amor eius continuus, & non interruptus; atqui amor eius continuus, & non interruptus est placere ipsi semper, & in omnibus: ergo amor, qui ei debetur, est vt ipsi placeamus in omnibus.

Solutio: *Amor debitus summè amabili est amor eius continuus, & non interruptus si ita velit, & iubeat*, Concedo. *si liberum nobis relinquat vt sit, vel non sit continuus, & summus*, Nego. ergo *amor, qui ei debetur est vt ipsi placeamus in omnibus, & quantùm possumus, si ita*

velit, & iubeat, Concedo. *si liberum nobis relinquat vt faciamus, quidquid possumus, vel non faciamus,* Nego. *Tunc enim nihil fit contra eius beneplacitum, nec consequenter peccatur in illud.*

Contrà. Deus non poteſt non iubere, vt placeamus ipſi quantum poſſumus: ergo nulla ſolutio.

Antecedens pr. Deus non poteſt velle, quod eſt inhoneſtum, & contra rationem; atqui eſt inhoneſtum, & contra rationem Deum non iubere, vt placeamns ſummè amabili quantùm poſſumus: ergo Deus non poteſt non iubere, vt placeamus ipſi quantùm poſſumus.

Minor pr. Eſt inhoneſtum, & contra rationem nolle reddi ſummè amabili quod ei eſt debitum: atqui non iubere vt placeamus ſummè amabili quantùm poſſumus, eſt nolle, vt reddatur ſummè amabili quod eſt ei debitum: ergo eſt inhoneſtum, & contra rationem Deum non iubere, vt placeamus ſummè amabili, quantùm poſſumus.

Solutio: Atqui *non iubere vt placeamus ſummè amabili quantùm poſſumus, cum relinquit nobis liberum vt id non faciamus, eſt nolle, vt reddatur ſummè amabili, quod eſt ei debitum,* Nego. *cùm non relinquit hoc nobis liberum,* Concedo. *Quod autem poſſit hoc nobis relinquere liberum inde debet colligi, quod non teneatur velle ſibi neceſſariò aliud ſuum bonum, quàm intrinſecum; quale non eſt gloria ipſius extrinſeca quam ipſi confert noſter amor. Hoc enim bonum cum ſit finitum, & creatum non eſt dignum amore neceſſario, & infinito, qualis eſſet ille, quo Deus non poſſet relin-*

quare nobis liberum eum non amare semper.

Quod autem reliquerit nobis illam libertatem ex eo clarum est primò, quod quæ sunt maioris perfectionis proposuerit nobis tantum per modum consilii, & ita proponi nobis doceat nos Ecclesia, teneat communis sensus fidelium, & declararit ipse Christus respondens iuueni quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, serua mandata, *& petens deinde, cum voluit proponere ipsi quæ erant maioris perfectionis, ipsius consensum*, si vis perfectus esse.

Secundò, quia si esset obligatio faciendi quidquid possumus in honorem Dei omnia, fere nostra opera essent peccata : vix enim vllum est, quod habeat omnem illam perfectionem, quam possemus ipsi dare : sit tam intensum ex tot, ac tam præstantibus motiuis &c. ac posset esse.

Contrà. Deus præcipit nobis vt placeamus ipsi, & eum amemus quantum possumus : ergo non relinquit nobis liberum vt id non faciamus.

Antecedens probatur. Qui diligit Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus suis placet ipsi, & eum amat quantum potest; atqui Deus præcipit nobis primo præcepto decalogi, vt diligamus eum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus nostris : ergo & vt ipsi placeamus, & eum amemus quantum possumus.

Solutio : *Qui ex toto corde, ex tota anima & ex totis viribus suis diligit Deum ; hoc est non tantum vitat eius offensionem, sed etiam procurat eius beneplacitum, placet ipsi, & eum amat, quantum potest,* Concedo. *vitat tantum eius*

offensionem, Nego. atqui *Deus præcipit nobis primo præcepto decalogi vt ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus eum diligamus, hoc est vitemus eius offensionem. Ad eam siquidem vitandam vitæ etiam ipsi non est parcendum nobis,* Concedo. *hoc est non tantùm vitemus eius offensionem, sed etiam procuremus eius maius beneplacitum, seu quod magis ipsi placeat,* Nego. *Vt enim facilius nobis esset consequi beatitudinem, noluit à fragilitate, & imbecillitate nostra exigere quidquid poterat, & quod si exegisset, præuidebat ei reddendum esse à paucissimis. Quare cùm ea, quæ sunt præter illa, quæ necessaria sunt ad vitandam Dei offensam, non præstamus, neque benè, neque malè agimus: non benè, quia nolumus quod esset Deo gratius: neque malè, quia non est obligatio id præstandi, ac proinde ille noster actus est indifferens in indiuiduo, seu neque bonus, neque malus: & consequenter negari non debet dari actus indifferentes in indiuiduo.*

Contrà. Non potest vitari Dei offensa cum actus aliquis noster non est bonus: ergo nulla solutio.

Antecedens probatur. Non vitatur Dei offensa, cum actus est contra rectam rationem; atqui cum actus aliquis noster non est bonus, est contra rectam rationem: ergo vt vitetur Dei offensa, actus debet esse bonus.

Maior probatur. Recta ratio præscribit vt omnes actus nostri sint boni: ergo cum aliquis non est bonus, est contra rectam rationem.

Antecedens probatur. Recta ratio non præscribit vt non sint boni: ergo præscribit vt sint boni.

Consequentia probatur. Non est medium inter præscribere vt non sint boni, vel vt sint boni: ergo cum recta ratio non præscribit, vt non sint boni, præscribit vt sint boni.

Respondeo *dari medium inter præscribere vt non sint boni, & præscribere vt sint boni, scilicet, præscribere vt non sint mali.*

Contrà. Actus ille, quem recta ratio præscribit non esse malum, est bonus: ergo nulla solutio.

Antecedens pr. Ille actus est bonus, qui fit ex præscripto rationis, & secundùm illam; atqui actus quem recta ratio præscribit non esse malum, fit ex præscripto rationis, & secundum illam, ergo est bonus.

Solutio: *Ille actus est bonus, qui fit ex præscripto rationis, hoc est ex affectu erga ipsam rectam rationem, & quia hoc præscribit recta ratio*, Concedo. *Tunc enim tendit in formalem honestatem, hoc est, sine vllo affectu erga præscriptum illud rectæ rationis & repræsentationis quod non sit malitia in obiecto, quod appetit*, Nego. atqui *actus, quem recta ratio præscribit non esse malum, fit ex præscripto rationis, hoc est, ex affectu erga rectam rationem*, Nego. *hoc est sine affectu erga illam, sed cum sola aduertentia non esse vllam malitiam in obiecto, quod appetitur*, Concedo. *Hoc autem non sufficit vt actus sit bonus. Ad bonitatem enim eius requiritur, vt supra probauimus, vt tendat in ipsam honestatem formalem, seu in obiectum honestum quia honestum est, v. g. in casu posito in obiectum illud quod repræsentatur ei non esse malum, quia non est malum. In hoc siquidem reperitur honestas formalis.*

Contrà. Sufficit vt actus sit bonus vt non fiat contra rationem, licet non fiat ex affectu, quia non est contra rectam rationem: ergo licet actus, qui fit ex præscripto rationis, non fiat ex affectu erga illam, non desinit esse bonus.

Respondeo *negandum esse antecedens, quia vt non semel diximus, honestas formalis non refundit bonitatem in actum, nisi ab eo expressè ametur. Certè qui facit aliquid quod videt profuturum alteri, si non amet expressè, & non moueatur ab vtilitate & commodo, quod iste percipiet ex eo, quod agit non meretur gratitudinem istius, neque exercet erga illum beneficentiam, quia non vult, & non afficitur erga rationem formalem beneficentiæ erga istum, quæ est ipsius vtilitas & commodum: quod licet prauideat, non agit tamen intuitu illius, & propter illud.*

SECVNDA CONCLVSIO:

Regula immediata humanorum actum est interna cognitio, seu conscientia.

ILLVD est proxima regula, & immediata humanorum actuum, à quo proximè, & immediatè dicuntur boni, aut mali; atqui à cognitione interna, seu conscientia dicuntur boni vel mali immediatè: ergo proxima & immediata regula humanorum actuum est interna cognitio, seu conscientia.

Minor probatur. Actus humani dicuntur immediatè boni, & mali vel à præcepto, vel ab obiecto, vel à cognitione; atqui non dicuntur

immediatè boni, vel mali ab obiecto, aut à præcepto : ergo dicuntur immediatè boni, aut mali à cognitione.

Minor probatur. Non dicuntur immediatè boni & mali actus humani ab eo, inter quod, & ipsos vt sint boni & mali mediare debet aliud; atqui inter præceptum, obiectum, & actus humanos, vt sint boni, aut mali, mediare debet aliud: ergo non dicuntur immediatè boni, aut mali ab obiecto, aut præcepto.

Minor pr. Mediare debet cognitio : ergo & aliud.

Antecedens pr. Mediare debet illud, per quod voluntati innotescere debet præceptum, aut obiectum, & eius qualitas; atqui cognitio est illud, per quod innotescit præceptum, aut obiectum voluntati : ergo mediare debet cognitio.

Maior pr. Mediare debet illud, per quod voluntas tenetur vitare, aut ponere huiusmodi actum; atqui illud, per quod ei innotescit præceptum, aut obiectum, facit vt teneatur ponere, aut vitare huiusmodi actum: ergo mediare debet illud, per quod voluntas tenetur vitare, aut ponere huiusmodi actum.

Minor pr. Repræsentatio est illud, per quod innotescit obiectum, aut eius qualitas; atqui cognitio est huiusmodi repræsentatio : ergo cognitio est illud, per quod innotescit præceptum, aut obiectum voluntati.



DISPVTATIO III.

De Paßionibus.

SECTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit paſsio.



ASSIONEM eſſe genere qualitatis non eſt dubiùm. Cùm enim hæc ſit accidens abſolutum aliud à quãtitate, ſeu accidens non modale, & non quantum, & cuius effectus formalis non eſt conferre impenetrabilitatem partium, ſe benè vel malè afficere ſuum ſubiectum communicando ei ſuum eſſe abſolutum, & per illud iuuando ipſum, vel in ſuo eſſe, vel in operari, vel alio quocunque modo; hoc verè & propriè conuenit paſſioni; vt facilè erit intelligere ex declaratione concluſionis ſequentis.

PRIMA CONCLVSIO:

Definitio passionis: Affectus appetitus sensitiui ex apprehensione boni aut mali, aptus inferre aliquam corporis mutati nem non naturalem, illi soli conuenit.

ALIA quibus posset dici conuenire, sunt actus intellectus, imaginationis, aut voluntatis; atqui non conuenit illis: ergo illi soli conuenit.

Minor pr. Non conuenit illis, quæ non excitant per se vllam alterationem in corpore; atqui actus intellectus, imaginationis, & voluntatis per se nullam excitant alterationem in corpore: ergo non conuenit illis.

Minor pr. Illa nullam per se excitant alterationem in corpore, quæ nullam habent vim applicandi potentiam motiuam; atqui actus imaginationis, & intellectus nullam habent huiusmodi vim: ergo nullam excitant per se alterationem in corpore.

Duæ primæ partes minoris probantur.

Illa non habent vim applicandi potentiam motiuam, quibus ipsa non subest; atqui potentia motiua non subest imaginationi & intellectui: ergo actus imaginationis, & intellectus nullam habent huiusmodi vim.

Tertia pars minoris præcedentis argumenti probatur.

Illud per se non excitat alterationem in corpore, quod totum esse potest, & sæpè de facto est

sine vlla huiusmodi alteratione; atqui actus voluntatis possunt esse, & sæpè de facto sunt sine vlla huiusmodi alteratione: ergo non excitant illam per se.

Minor pr. In anima separata sunt multi actus voluntatis; atqui illi nullam excitant alterationem in corpore: ergo actus voluntatis possunt esse, & de facto sunt sine huiusmodi alteratione.

SECVNDA CONCLVSIO:

Sunt sex passiones appetitus vt est concupiscibilis.

AMOR, odium, desiderium, fuga, delectatio, & tristitia sunt passiones appetitus vt concupiscibilis: ergo sunt sex passiones appetitus, vt concupiscibilis.

Antecedens probatur. Illud est passio appetitus concupiscibilis, quod est actus appetitus tendentis in bonum, aut malum præcisè, seu non aduertendo esse arduum; atqui amor, odium, desiderium, fuga, gaudium & tristitia sunt actus appetitus tendentis in bonum, aut malum præcisè, aut non aduertendo esse arduum: ergo sunt passiones appetitus vt concupiscibilis.

Minor pr. Actus appetitus, qui fiunt ex præuia cognitione boni aut mali, nihil repræsentante de eius præsentia, aut absentia, aut si præsentiam eorum, aut absentiam repræsentet, nihil explicante de eorum arduitate, & difficili acquisitione, aut vitatione, tendunt in bonum, aut malum præcisè, aut non aduertendo esse arduum; at-

qui amor, desiderium, delectatio, odium, fuga, & tristitia sunt actus appetitus facti ex prȩuia cognitione boni aut mali nihil repræsentante de eorum præsentia, aut absentia; aut si præsentiam eorum, aut absentiam repræsentet, nihil explicante de eorum arduitate, & difficili acquisitione, aut vitatione: ergo amor, desiderium, gaudium, odium, fuga, & tristitia sunt actus appetitus tendentis in bonum, aut malum præcisè, aut non aduertendo esse arduum.

Minor pr. Amor est affectus erga bonum præcisè, desiderium tendentia in illud vt absens, & gaudium quies in ipso præsente. Odium verò est nolitio mali præcisè, fuga nolitio ipsius absentis, & tristitia nolitio ipsius præsentis: ergo amor, desiderium, & gaudinm: odium, fuga, & tristitia sunt actus appetitus facti ex præuia cognitione boni, aut mali, nihil repræsentante de eorum præsentia, aut absentia, aut si eorum præsentiam, aut absentiam repræsentat, nihil explicante de eorum arduitate, & difficili acquisitione, aut vitatione.

TERTIA CONCLVSIO:

Quinque sunt passiones appetitus, vt irascibilis.

Spes, desperatio, timor, audacia, & ira sunt passiones appetitus irascibilis: ergo sunt quinque passiones appetitus vt irascibilis.

Minor pr. Illud est passio appetitus, vt irascibilis, quod est actus appetitus tendentis in bo-

num, aut malum vt arduum; atqui spes, desperatio, timor, audacia, & ira sunt actus appetitus tendentis in bonum aut malum vt arduum: ergo sunt passiones appetitus, vt irascibilis.

Prima pars minoris probatur.

Quod est prosecutio efficax boni ardui, ac futuri cum aliqua anxietate circa euentum, tendit in bonum vt arduum; atqui spes est huiusmodi prosecutio: ergo & actus appetitus tendentis in bonum vt arduum.

Secunda pars minoris prioris argumenti probatur.

Quod est affectus diffidentiæ erga bonum arduum reputatum impossibile, aut nimis difficile appetenti tendit in bonum arduum; atqui desperatio est huiusmodi affectus: ergo & actus appetitus tendentis in bonum vt arduum.

Tertia pars minoris superioris argumenti probatur.

Auersio à malo futuro, vt difficilè vitabili, tendit in malum arduum; atqui timor est huiusmodi auersio: ergo & actus appetitus tendentis in malum vt arduum.

Quarta pars minoris superioris argumenti, probatur.

Affectus efficax erga executionem mediorum difficultatibus auertendis idoneorum, vt talia sunt, tendit in bonum arduum; atqui audacia est huiusmodi affectus: ergo etiam actus appetitus tendentis in bonum vt arduum.

Quinta pars minoris probatur.

Desiderium vindictæ ex malo accepto tendit in malum arduum; atqui ira est huiusmodi affe-

ctus: ergo est quoque actus appetitus tendentis in malum, vt arduum.



DISPVTATIO VLTIMA.

De Virtutibus.

SECTIO VNICA.

Quid, & quotuplex sit virtus.



IN explanandis virtutis causis hîc non immorabimur, tum propter rationem initio præcedentis disputationis allatam, tum quia ex iis, quæ putata sunt à nobis hoc tractatu, aut præcedenti facilè colligi possunt. Cùm enim eius operationes sint actus voluntatis, & intellectus, dubitari non potest primò quin illa, quæ est causa efficiens, & materialis istorum, eadem quoque sit principium productiuum, & receptiuum ipsius virtutis. Certum esse debet secundò huius causam finalem censendam esse solam honestatem, quam diximus disput. 2. sect. 10. non refundere suam bonitatem in actum, qui tendit in subiectum, in quo est, nisi ametur expresse. Tenendum est tertiò dignitatem & excellentiam, quam vna virtus habet supra aliam, desumi debere ex perfectiori obiecto aut perfectiori modo in illud tendendi, eadem planè ratione, qua actus intellectus, & voluntatis

dicuntur alij aliis superiores, aut inferiores. Asserendum est 4. quod existimant aliqui, virtutes omnes esse inter se connexas, seu vnam haberi non posse, quin aliæ omnes pariter habeantur, falsum esse absolutè loquendo, illúdque palam docere experientiam, qua constat multos, qui alicui vitio sunt dediti, iræ v. g. facilitatem habere ad exercendos actus aliarum virtutum, liberalitatis v. g. fortitudinis, &c. Quare in nullo alio sensu id potest esse verum, quàm si intelligatur eum, qui habet aliquam virtutem in perfectissimo gradu, in eodem etiam debere habere alias: propterea quod cum istarum obiecta habere possint varia impedimenta, aut adiumenta ad facilius exercitium illius, tolli non possint illa perfectissimè, neque hæc poni, nisi in pari gradu perfectionis possideantur virtutes illæ, quibus incumbit id præstare, & sine quibus hoc haberi non potest.

PRIMA CONCLVSIO:

Virtutis definitio, habitus operatiuus boni non conuenit aliis à virtute.

ALIA quibus dici posset conuenire, sunt intellectus, voluntas, aut habitus vitiosi; atqui non conuenit illis: ergo non conuenit aliis à virtute.

Maior pr. Non conuenit illis, quæ non sunt inclinatio, aut si sint, sunt tantum huiusmodi inclinatio ad actus malos; atqui intellectus, & voluntas non sunt inclinatio, & facilitas, & ha-

bitus vitiosus est tantum inclinatio ad actus malos: ergo non conuenit intellectui, neque voluntati, neque habitibus vitiosis.

Duæ primæ partes minoris probantur: tertia enim clara est.

Quod est potentia, siue simpliciter necessarium ad suos actus non est facilitas, & inclinatio; atqui intellectus, & voluntas sunt potentia, & quid simpliciter necessarium ad suos actus: ergo non sunt facilitas, & inclinatio.

SECVNDA CONCLVSIO:

Benè diuiditur virtus in infusam, & acquisitam.

Virtus benè diuiditur in illa, quæ sunt verè habitus electiuus boni, sunt quidquid iste habitus, & distinguuntur inter se; atqui virtus infusa & acquisita sunt habitus electiuus boni, sunt quidquid iste habitus, & distinguuntur inter se: ergo virtus benè diuiditur in infusam, & acquisitam.

Secunda pars minoris probatur.

Illud est verè habitus electiuus boni, quod inclinat ad actus honestos; atqui virtus infusa & acquisita inclinant ad actus honestos: ergo sunt verè habitus electiuus boni.

Antecedens probatur. Infusa inclinat ad actus supernaturales bonos, & acquisita ad actus naturales etiam bonos; atqui actus naturales, & supernaturales boni sunt honesti: ergo inclinant ad actus honestos.

Secunda pars minoris superioris argumenti, virtutem infusam, & acquisitam esse, quidquid virtus, probatur.

Virtus infusa, & acquisita continent quidquid virtus: ergo sunt quidquid virtus.

Antecedens probatur. Virtus est inclinatio ad actus honestos; atqui continent quidquid illa inclinatio: ergo continent quidquid virtus.

Minor probatur. Illa inclinatio, & comprincipium actuum honestorum est acquisitum, vel propriis actibus, vel infusum à Deo; atqui acquisita continet illud, quod est acquisitum nostris actibus, & infusa quod Deus nobis infundit: ergo infusa & acquisita continent quicquid illa inclinatio.

Tertia pars minoris superioris argumenti, pr.

Virtuti infusæ & acquisitæ conueniunt prædicata contradictoria: ergo virtus infusa & acquisita distinguuntur.

Antecedens pr. Acquiri nostris actibus, & non acquiri sunt prædicata contradictoria; atqui primum conuenit virtuti infusæ & secundum acquisitæ: ergo prædicata contradictoria conueniunt illis.

Minor pr. Illi conuenit acquiri nostris actibus, quod verè illis acquiritur, & illi non acquiri quod non acquiritur; atqui virtus acquisita acquiritur nostris actibus, & infusa non acquiritur: ergo conuenit virtuti acquisitæ acquiri nostris actibus, & infusæ non acquiri.

Atque ex his patet virtutem acquisitam Moralem rectè dici posse habitum voluntatis acquisitum bonis actibus, quo homo suos affectus, &

actus rectæ rationis, & prudentiæ lege moderatur: per hoc enim quod acquiratur bonis actibus, distinguitur à virtutibus infusis, & per hoc quod dirigatur à prudentia, distinguitur à virtutibus intellectualibus.

TERTIA CONCLVSIO:

Virtus moralis latiùs sumpta benè diuiditur in prudentiam, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem.

VIRTVS moralis latiùs sumpta est illa, quæ dirigit actus honestos, aut eos exequitur ex eius directione; atqui virtus, quæ dirigit actus honestos, aut eos exequitur ex eius directione, benè diuiditur in prudentiam, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem: ergo virtus moralis benè diuiditur in prudentiam, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem.

Minor probatur. Prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo sunt verè virtus dirigens actus honestos, aut eos exequens ex eius directione, sunt prætereà quidquid huiusmodi virtus, & distinguuntur inter se: ergo virtus dirigens actus honestos, aut eos exequens ex eius directione benè diuiditur in prudentiam, iustitiam, temperantiam, & fortitudinem.

Prima pars antecedentis probatur.

Prudentia præscribit modum quo faciendi sunt actus honesti, & iustitia, temperantia, & fortitudo exequuntur, quod illa præscribit: ergo sunt verè virtus dirigens actus honestos, aut eos

exequens ex eius directione.

Secunda pars antecedentis prioris argumenti, probatur.

Prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo complectuntur, quidquid virtus dirigens actus honestos, aut eos exequens ex eius directione: ergo sunt verè quidquid huiusmodi virtus.

Antecedens pr. Prudentia continet hoc quod est dirigere actus honestos: & iustitia, temperantia, & fortitudo hoc, quod est, eos exequi: ergo prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo complectuntur quidquid virtus dirigens actus honestos, aut eos exequens ex eius directione.

Prima pars antecedentis probatur.

Illud continet hoc quod est dirigere actus honestos, cuius est præscribere, & dictare modum operandi honestè; atqui proprium est prudentiæ præscribere, & dictare modum operandi honestè: ergo prudentia continet hoc, quod est dirigere actus honestos.

Secunda pars antecedentis prioris argumenti, probatur.

Illud continet hoc, quod est exequi actus honestos, ad quod reuocantur omnia opera honesta facta ex directione prudentiæ; atqui omnia nostra opera facta ex directione prudentiæ, reuocantur ad iustitiam, temperantiam, & fortitudinem: ergo iustitia, temperantia, & fortitudo continent hoc, quod est exequi actus honestos.

Minor pr. Opera honesta facta ex directione prudentiæ, vel respiciunt bonum proximi, vel bonum operantis; atqui opera honesta respicientia bonum proximi facta ex directione pruden-

tiæ reuocantur ad iustitiam; respicientia verò bonum operantis, reuocantur ad temperantiam, aut fortitudinem: ergo omnia opera honesta facta ex directione prudentiæ, reuocantur ad iustitiam, temperantiam, & fortitudinem.

Prima pars minoris probatur.

Opera honesta respicientia bonum proximi, reuocantur ad eam virtutem, cuius est vitare nocumentum proximi; & procurare eius bonum; atqui iustitiæ est vitare nocumentum proximi, & procurare eius bonum: ergo opera honesta facta ex directione prudentię, reuocantur ad iustitiam.

Secunda pars minoris prioris argumenti, pr.

Opera honesta respicientia bonum operantis, vel constituunt mediocritatem in appetentia necessariorum, vel confirmant hominem circa mala, quæ pati debet, aut superare in exercitio virtutis; atqui quæ constituunt mediocritatem in appetentia necessariorum, reuocantur ad temperantiam, & quæ confirmant hominem circa mala, quæ pati debet, aut superare in exercitio virtutis, spectant ad fortitudinem: ergo opera honesta respicientia bonum operantis, reuocantur ad temperantiam, aut fortitudinem.

Minor pr. Opera honesta constituentia mediocritatem in appetentia necessariorum, aut confirmantia hominem circa mala, quæ pati debet, aut superare in exercitio virtutis, pertinent ad eas virtutes, quarum est appetere cum mediocritate necessaria, aut superare difficultates occurrentes in exercitio virtutis; atqui temperantiæ est appetere cum mediocritate necessaria, & fortitudinis superare occurrentes difficultates in exercitio

virtutis: ergo quæ constituunt mediocritatem in appetentia necessariorum, reuocantur ad temperantiam, & quæ confirmant hominem circa mala quæ pati debet, aut superare in exercitio virtutis spectant ad fortitudinem.

Tertia pars minoris superioris argumenti scilicet, virtutes illas esse distinctas, pr.

Illa sunt distincta, quorum sunt diuersi conceptus; atqui sunt diuersi conceptus prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ: ergo prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo distinguuntur.

Minor pr. Conceptus prudentiæ repræsentat virtutem præscribentem, & docentem modum honestè operandi: conceptus iustitiæ repræsentat virtutem vitantem nocumentum proximi, & procurantem eius bonum: conceptus temperantiæ repræsentat virtutem præscribentem mediocritatem in appetentia necessariorum, & conceptus fortitudinis repræsentat virtutem superantem difficultates occurrentes in exercitio virtutis; atqui illi conceptus sunt diuersi: ergo diuersi sunt conceptus prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, & fortitudinis. Faxit Deus, cui nostram hanc explicationem philosophiæ volumus consecratam, & eius sanctissimæ Matri, vt in earum exercitio semper viuamus, & tandem promissum illis præmium consequamur.

FINIS.

INDEX RERVM,

quæ in hoc quarto Tomo disputantur.

FINIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR Lettres de Priuilege en datte du 26. iour d'Avril 1660. il est permis à GASPAR METVRAS, Marchand Libraire à Paris, de r'imprimer ou faire r'imprimer vn Liure intitulé *Chabroni Philosophia*, en quatre Volumes. Et deffenses sont faites à toutes personnes d'imprimer ledit Liure pendant le temps & espace de sept années, qui commenceront du iour que lesdits Volumes seront acheuez d'imprimer, à peine de tous dommages & interests, mesmes de confiscation des Exemplaires contrefaits, ainsi que plus au long est contenu esdites Lettres. Signées par le Roy en son Conseil.

GVITTONNEAV.

Registré sur le Liure de la Communauté le 4. May 1660. IOSSE SYNDIC.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, sur le present Priuilege, le 24. Septembre 1663.

